This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 00261294 7

Eurenius
KAT

(Eurenius)

KAT ~~KAD~~

ATLANTICA ORIENTALIS

SIVE

ΝΗΣΟΣ ATLANTIS

A MVLTIS RETRO ANNIS

A

PAST. ET PRAEPOS. IN TORSAEKER
ANGERMANNIAE

M. IOANNE EVRENIO

SVECANAE LINGVAE IDIOMATE
DESCRIPTA,

IAM AVTEM

LATINE VERSA.

ASTOR LIBRARY
NEW-YORK.

BEROLINI, STRALSVNDIAE & LIPSIAE,
apud THEOPHIL. AVGVSTVM LANGIVM,
1764.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

NOBILISSIMO

AC

GENEROSISSIMO DOMINO

DOMINO

ADOLPH. FRIDERICO

DE OLTHOFF

S. R. M. SVEC. CONSIL. REGIM.

IN POMERANIA.

PUBLIC LIBRARY

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

NOBILISSIME ET GENEROSISSIME

DOMINE!

AMICE INTEGERRIME.

Quotidie, ſi poſſem, TIBI, non ſolum amicitiae meae ſinceritatem demonſtrarem, ſed etiam ad redimenda officia, quae TIBI debeo, certiſſima gratiſſimi animi documenta darem. Et illud quidem quotidie mihi cordi erit, hoc vero, ſi nec vnquam perficere valerem, TIBI, vt Amico, ſatis erit, de candidiſſimi animi mei deſiderio perſuaſum eſſe.

Superſedeo plura de hisce verba facere: nam amicos inter, nec verba phalerata, nec donorum pretia amicitiae aliquid addunt. Mihi interim curae erit, oblata occaſione, quantum humeri ferant, praeſtare. Et quid magis a me ſperandum?

Opuſculum TIBI dico de Atlantica ab amico meo ante paucos annos demortuo, meo quidem iudicio, mira ingenii felicitate, conſcriptum. Variis conaminibus obices mihi tollendi fuerunt, qui ne ederetur, obiiciebantur et peruici tandem, vt in lucem prodirent lucubrationes eius, ne eſſent, qui, poſt mortem, vitulo eius ararent, quemadmodum quidam, illo viro, non nefas duxit plagiarium agere et ex Libello manuſcripto praedari.

Inter Originalia, vti nominantur, Liber hicce eſt numerandus.

De-

Demonſtrationem non admittunt Antiquitates et Migrationes Gentium. Quid mirum, ſi noſtrae, aeque ac aliorum, in probatione aliquando deficiant, dum ad tempora remotiſſima retro cedunt? Si Odinus Aſiaticus ſecum attulit hiſtoriam antiquiſſimam Gothorum ex Aſia, vti Nobiliſſimus Strahlenberg, non contemnendis inductus rationibus vrget, quid obſtat, quominus et Captiui Iſraëlitae ſecundum hiſtoriam Macchabaeorum, nouas ſedes migrando quaeſierint, ſiue aliis admixti Gentibus, ſiue ſoli?

Nec validiori omnino fundamento innititur horum opinio, qui nos e ſemi proſapia originem duxiſſe volunt: niſi forte vetuſtior ſententia ex antiquitate ipſa maiorem veritatis ſpeciem trahat, quod quae prior tempore etiam auctoritate potior cenſenda ſit; qualia iura occupantis eſſe ſolent. Certe, qui, ad

(Eurenius)

KAT ~~KAD~~

nime ambiguum, pro Reuelatione depromſiſſem.

Vt vt ſit; dignum iudicaui Libellum qui TIBI offeratur et latine prodeat, ne intra Sueciae limites ingenioſiſſimum Auctoris tentamen includatur. Negotium id in ſe ſuſcepit Dom. Mag. Ephraim Axelſſon Cancellariae Regiae iam adſcitus, quod quidem, vt videre eſt, maxima dexteritate perfecit.

Praeter ingenioſa, quae non poſſunt non ingenioſis placere, maxime notatu digna ſunt, quae Plato in Critia ad finem narrat, de Lege diuinitus data Atlantibus, de Numine in hoc populo conſeruando praeſentiſſimo, quamdiu diuinis Legibus obſecundarent, de erectiori eorum mente, modeſtia, prudentia, amore patriae, ceterisque, aliis iam forte gentibus, ignotis virtutibus.

Hisce Ornati omnia illis bene ceſſerunt; at quamprimum, cupiditatum aeſtu ab-

abrepti, in transuerſum agerentur, gratia Diuina exciderunt ob inobedientiam et peccata ſua, Deoque Iuſtiſſimo, Vltori et Cuſtodi Legum, per quas homines regit, qui omnia videt, poenas grauiſſimas dederunt, vt in ſe irent et ad frugem ſe reciperent.

Quid magis Diuino dignum Numine dici poteſt? Et quis non perſpiciat, heic ad manus eſſe teſtimonium fide digniſſimum, de veritate hiſtoriae Iſraëliticae et perſuaſione, quam induerant Ethnici, de praerogatiua Religionis, ſpecialique Numinis protectione, quamdiu Diuinis Legibus obtemperarent: vnde et finitimae gentes, quotiescunque de bello Iſraëlitis inferendo conſilia inibantur, exinde certiſſimam victoriae ſpem concipiebant, quod Populus iſte gratia et protectione Diuina excidiſſet: vti ex hiſtoria Philiſteorum ſatis ſuperque conſtat, et ab Iſraëlitis reſipiſcentibus, non ſine dolore agnitum.

Pro-

Prouideant ergo, noſtrae aetatis Populi, ſibi cautionem ex horum periculo, ſi fata et pericula tantae gentis euitare deſiderent. Felices, ſi poſſent et ſi vellent! Sin minus, haud mirum illos depraedationibus, et deuaſtationibus eneruari macerarique, eadem oppreſſi calamitate, victores et victi.

Quod ſupereſt, TIBI, Domine Generoſiſſime, fauſta quaeuis et proſpera adprecor: Animum curis taedioſis vacuum et valetudinem, qualem humana vnquam admittit conditio. Vale! et TVI amantiſſimo faue. Dabam Holmiae die 16 Maii Anni MDCCLXIIII.

OLAVVS BIDENIVS RENHORN.

DE-

DEDICATIO.

IN S^am R^am M^tem MAGNAE FIDEI VIRIS,

DIOECESEOS ABOËNSIS EPISCOPO

AC

REG. ACAD. PROCANCELLARIO,

REVERENDISSIMO DOMINO

DOMINO

D. IOHANNI BROVALLIO,

SVPERINTENDENTI DIOECESEOS HERNOSANDENSIS

REVERENDISSIMO DOMINO

DOMINO

DOCT. OLAVO KIORNING,

REG. CANCELL. CONSILIARIO

GENEROSO ATQVE NOBILISSIMO

DOMINO

OLAVO ESTENBERG

ITEM ET

ARCHI-PRAEPOSITO

MAX. REVERENDO ATQVE CELEBERRIMO

DOMINO

M. CAR. FRED. LIVNBERG.

Atlanticam ſuam Orientalem mihi tradidit b. m. Dominus Praepoſitus Ioannes Eurenius, quam Sacr. Rom. Maieſtatis Priuilegio Strengneſiae edendam curaui. In accurate edendo codice multum operae poſuit Dominus Archi-praepoſitus, qui et argumenta quaedam, rei probandae inſeruientia, adiecit.

Vsque adeo me perpulere veneratio, ſanguinis coniunctio, atque amica familiarisque vitae communitas, vt illum diem vehementer exoptauerim, quo ingenuam meam obſeruantiam quodam modo Vobis teſtificarer. Quum vero hac optabilior occaſio nulla mihi euenire potuerit, qua, quanto cultu ac veneratione Patronos tantos proſequar, literario coram orbe declarare poſ-

ſem;

ſem; Vobis, aequis tamquam rerum aeſtimatoribus ac peritiſſimis arbitris, has pagellas conſecro dicoque. Vós, vtpote ob intentum erga veritatem ſtudium de communi ſocietate optime meriti, rariſſimaque eruditione conſpicui, melius quam ego, teſtari poteſtis, hoc Praepoſ. Eurenii opus nec verbis contra rei naturam tortis et inflexis, nec adſcitis literarum valoribus, ſed euidentibus niti argumentis. Fatendum tamen eſt, certas in poſterioribus capitibus opiniones minus firmatis probationibus eſſe ſtabilitas; nihilo tamen minus ea ingenii ſpecioſa vi ſeſe commendant, vt peruellem ſane, argumenta omnia, hanc ad rem ſpectantia, collexiſſet adm. reu. Dominus Auctor, quo faciliorem aſſenſum ſibi conciliaret: numerum namque potius, quam ipſa rerum pondera multi conſiderant. Interim tamen haec aliis, eruditione aeque celebribus, viris facem praeferant viamque ſternant, quo eo facilius, quae his addi poſſent, indagentur.

Quam de Atlantica plerique, Celeberr. Rudbeckii nixi auctoramento, opinionem ſouent, plus quam XX per annos hunc librum

❦ ✠ ❦

lorum ſuas intra latebras quaſi detinuit; iam vero ab eodem doctiſſ. Viro adducta argumenta poſteriori huius opellae parti, quae Atlantum Suecorumque circa Sacra curam conciliat, haud exigua, opinor, addant firmamenta atque robora.

In eadem, ac Eurenius noſter, ſententia fuere quidem alii, praeſertim Dominus De Lauaur, qui in opere ſuo, cui titulus: *Hiſtoire de la fable conferée avec l'Hiſtoire ſainte*, Amſtelodami A. MDCCXXXI excuſo, eodem hanc rem modo enodauit; fabulas tamen, non vero hiſtoricam Atlantices deſcriptionem, ſolum tetigit. Et quum paganarum fabularum interpretatio a ſacra ſcriptura recte deſumatur, hae, vt etiam *Edda* noſtra, vnde plebeia illa figmenta de Siluanis, Faunis, Neptunis, Laribus et reliqua daemonum cohorte ſuas petant origines atque fundamenta, optime demonſtrant.

Ex illis, qui eandem cum Praepoſ. Eurenio ingreſſi ſunt viam, minime tacendus eſt Dominus Magiſter Andreas Schick, eiusque diſſertatio prior de Atlante ſiue Iſraële. E literis, quibus mihi die XVIII Septemb. A. MDCCXLIV reſcripſit Dominus Praepoſ.

Eu-

Eurenius, ſequentia me inſerere debere crediderim: „Aperte fatentur Graeci, ſeptem„trionales noſtras oras illis plane ad Strabo„nis vsque tempora fuiſſe ignotas, qui l. c. „p. m. 34. L. IV. p. 457 mentem ſuam ita „ingenue explicat: *neſcimus vbi ſit ſeptem„trio*; vana itaque et nullius fructus eorum „eſt opera, qui Meridionales terras Borea„libus in plagis rimari ſtudent. Quem mi„hi propoſui, ſcopus fuit, vt oſtenderem, „Ethnicis ſatis nota eſſe diuina miracula at„que manifeſtationes, quas ſacra oracula „exponunt, ſimulque mentibus, nulli parti „deditis, argumentum qualecunque, pro „demonſtranda Biblicae Hiſtoriae explora„tiſſima veritate, ex ipſis paganorum ſcriptis „expromerem.

„Et licet haec ceteraque, ob prolixi„tatem poſtea omiſſa, illi fini deſtinata ſint, „vt iucundo otio illud tempus fallerem, „quod a grauioribus curis vacabat; animum „tamen induxi, vt opuſculum hoc publicam „in lucem ederem. At vero cum huic in„ſtituto moram euentus quidam intulerint, „librum Reualiae excudendi negotium ſuſce„pere affines mei, Nobiliſſ. Dnus Ioachi„mus von Cronman, Alatakiuienſis, atque

„Dnus Petrus Renhorn, Eſtonia-Raſinienſis.
„Huic tamen eorum conatui bellum, tum
„ortum, adeo obſtitit, vt firmiter decerne-
„rem, haec iterum ad angulum ſuum able-
„gare; donec tempore praeterlapſi anni
„hiemali ea mihi felicitas obtigerit, vt Te,
„Dne Commiſſarie, apud Norrlandos de-
„gentem, huius libelli fatorum poſſem red-
„dere certiorem. Tum quoque occaſio
„mihi denuo dabatur, Codicem Manuſcri-
„ptum a Liuonia, opera affinis mei Dni Ni-
„colai Renhorn, recuperandi.

„Quod vero diſſertationem de Atlan-
„te ſiue ישראל, Vpſalae hoc anno d. 5 Maii
„editam, attinet, quam mecum nuperrime
„communicare Dno Commiſſario placuit; et
„ob hanc et alia mutuae amicitiae documenta
„magnopere me obſtrictum teneri, fateor:
„attamen haud mihi opus eſt, vt hanc ob
„cauſſam rubore ſuffundar faciemque in alios
„aliosque colores mutem. Etenim licet
„adeo euidens ſit, quam quod euidentiſſi-
„mum, in nominata diſſertatione meaque
„Atlantica rem ipſam eiusque probationes
„graphice easdem eſſe, ita, vt fieri non po-
„tuerit, quin noſtrum quis, vel ego vel
„etiam Dnus Schick, eodem atque alieno,
„vt

„vt dicitur, vitulo arauerimus; nihilo tamen minus oſtendere me poſſe confido, „tenue meum opus ante plus quam viginti „annos, dum Dnus Schick in cunis „vagiebat, vel forte nondum erat natus, confectum fuiſſe atque abſolutum. „Patebit hoc, miſſis ceteris, e literario illo „commercio, quod illo tempore mihi doctis cum viris fuit, praeſertim e. b. m. Profeſſoris Mag. Erici Burmanni mihi dato hoc „de opere benigno adplauſu atque iudicio. „Praeterea hoc meum opuſculum ea tempeſtate, qua illud publicae luci mandare conabar, non tantum Regii Antiquitatum Collegii ſed et V. Conſiſtorii Hernoſandenſis „cenſurae ſubiectum fuit. Perlegit quoque „hanc opellam et duas in margine notas „fixit Reg. Cancell. Conſiliarius Roſenadler. „Haud quoque Te, Dne Commiſſarie, fugit, autographon meum, a Liuonia miſſum, Tibi eſſe traditum, atque adeo diu „iam eſſe, quo meis ſubeſſe manibus illi „contigerat. Tamen, quum VII Atlantis „filiarum nomina omiſerim, ſuum ſemel ſaltim perſcrutatum fuiſſe penu, videretur „Dnus Schick, ſi Graecas harum filiarum „appellationes cum VII Cananaeae incola-

 „rum

„rum Ebraicis conciliaſſet, quam comparationem iam *facilem* tantum *oſtenſu* fore „credidit. Tum enim a probabilitate haud „longe abluſiſſet, Dominum Schick in ceteris mea non reſeraſſe ſcrinia, ſed inaudito „caſu eueniſſe, vt eadem ſemper claue iisdemque argumentis fuiſſemus vſi.

„Parum quidem intereſt, quisnam noſtrum, vtrum Dominus Schick, an ego, „genuinus ſententiae de vero Atlante ſit Auctor. Spero tamen, fore, vt plagiarii „nomen mihi imponat nemo: fieri enim „minime potuit, vt ego Diſputationem, „quam nunquam vidi, quaeque ea tempeſtate non exhibita fuit, exſcriberem; id „vero certus ſcio, operis mei exemplar eo „tempore, quo beate defunctus Secretarius „Roſelius, qui illud Stockholmiae examinandum curauit, Vpſalam perueniſſe. In „ſinu tamen gaudeo, cogitationes meas de „Atlanticae inter Iſraëlitas ſitu illo loco „ventilatas fuiſſe atque approbatas, vbi certae illis remorae antea obſtitere. Impenſe voueo, haec vt omnia, tenuia licet, „Iſraëlis Deo gloriae atque amicis meis „ſint oblectamento. Hus vsque Eurenius.„

In

In §. V. diſſertationis Gradualis Domini Magiſt. Schick, d. VII Maii Anno MDCCXLVII ventilatae, quae inſcribitur Νῆσος Atlantis, mentio demum fit operae Praepoſiti Eurenii, ac ſi tum primum erudito orbi innotuiſſet; eſt haec forte, venia Auctoris, in §. IX omiſſa ratio, cetera, quae demonſtrarent, Νῆσον Atlantis fuiſſe Palaeſtinam, excludendi argumenta: nulla enim alia ibi reperire poteſt vel perſpicaciſſimus, quam quibus iam pridem Eurenius vſus eſt. At tamen notandum eſt, §. VI. capitis I. binas in partes diuiſam eſſe et hanc ob cauſſam argumenta XVII. eſſe numero pro Auctoris XVI. Huc ſpectare mihi videntur, quae olim Horatius L. I. Ep. III. pari quadam occaſione cecinit:

Quid mihi Celſus agit: monitus multumque monendus
Priuatas vt quaerat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo:
Ne ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum,
Furtiuis nudata coloribus. — —

 Erga

Erga veritatem amor, vt hoc elegantiſſimum opus typis euulgarem, me inflammauit, poſtquam celebres viri eruditam illam in exſilium proſcripſere tyrannidem, cui vt alii etiam obtemperarent, ſuperbe ignorantes poſtularunt, qui opinionem quandam auctoritate ſua primi ſtabilire auſi ſunt. Iam tandem illud excuti ſeruitutis iugum coeptum eſt, quod cogitationum liber modeſtusque vſus aſpernatur: faxit Deus, et iubeant illi, penes quos iubendi eſt poteſtas, vt adeo vtile negotium proſpero promtoque ſucceſſu ſuſcipiatur; ſic fiet, vt poſt futuris ſtabilitarum veritatum maturam notitiam adeo certe polliceri poſſimus, vt illis non opus ſit, haud profuturorum atque inanium meditamentorum ſarcinis cerebrum onerare, maximis vtpote verae eruditionis ſcientiaeque impedimentis, omnium vero tricarum, quas iam intactas relinquo, flabellis atque inſtigatoribus.

Huius curae primaria pars Veſtra eſt, Viri Reuerendiſſimi Nobiliſſimique. De Veſtra et facultate et benigna voluntate has diſſipandi tenebras, quibus ſcientias in-

infuſcauit ſuperſtitioſa et patriae amore ſtulte correpta antiquitas, me conuincit documenta quam plurima. Macte ergo iſta voluntate ac in patriam pietate eſtote, idque efficite, vt communis ſocietas laudatiſſimorum Veſtrorum conatuum, quam fieri poteſt, cito fructum percipiat. Praeterquam quod multis nominibus et ob benignam amicamque mentem et erga hunc librum fauorem iamdiu me Vobis obſtrictum ſentiam, nouo debitoque obligationis additamento me permouebunt, vt omni, qua par eſt, animi veneratione perſeuerem

REVERENDISSIMORVM,
NOBILISSIMORVM
ATQVE
CELEBERRIMORVM NOMINVM
VESTRORVM

Arbogiae, d. XX. Iulii
Ao. MDCCLI.

humillimus cultor,
OL. BID. RENHORN.

PRAEFATIO.

A Viro percelebri rogatus, vt ad hunc librum non nihil praefarer, et ob diu cultam amicitiam et ob veritatem ipſam, firmis ſat praeſidiis munitam, me iſti negotio non potui ſubtrahere, licet ab interplicatis nodis ac longe petitis coniecturis ſemper abhorream.

Antiquiſſimae noſtrae Hiſtoriae fundamenta ſubminiſtrant *Nomina*, *Monimenta* atque *Fabulae*, variis tamen corruptelis inuolutiſſima: namque

α) aeque incertum eſt, ſi ex *literarum vocabulorumque* qualicunque *ſimilitudine* gentis hiſtoriam effingamus, ac facile foret adiumentum, portentoſa effutiendi mendacia et miracula; quid? quod flumina, vrbes, terras genteſque transponendi, easque ad loca a vero ſitu diſſitiſſima relegandi ampla ſic occaſio daretur.

β) Apud Graecos vetuſtiſſima ſeſe offerunt *Monimenta*. Si vero Homerus, Herodotus, Diodorus Sic. et reliqui antiquitatis ſcriptores rerum, de quibus ne cogitarunt quidem, teſtimonium ferre cogerentur; ſi verbis mutilatis absque ad antecedentia conſequentiaque habito reſpectu, ſi coram arbi-

tris,

tris, qui neque eorum ſcripta expendunt neque linguae idioma callent, iudicium coacte ferrent; illis ſane maxime eſſemus iniurii: atque ſic eueniret, vt, quae illi penitus negarunt, comprobarentur, atque eiusmodi opiniones, quas ne ſomniarunt quidem, illis obtruderentur. Exempla vbique obueniunt quae, ſi quaerantur, in lucem prodire posſunt.

γ) Noſtrum et verſus ſeptemtrionem finitimarum gentium *Fabulae* et dilacerati Annales, quatenus veris innitantur euentibus, antiquiori hiſtoriae lucem inferunt. Ea vero omnia, quae aut naturae cum viribus aliisque fidis hiſtoriis et chronologia pugnant, aut a noſtrae terrae indole diſcrepant, mera tanquam commenta recte omnino habenda ſunt.

Peninſula noſtra borealis et peruetuſtum et nobile fuit regnum; Platonem vero illud Atlanticae nomine deſcripſiſſe, ſacerdotesque Aegyptios, qui regia dignitate erant, de illo cum Solone ſermonem Saitide et Heliopoli contuliſſe, in mentem mihi venire numquam potuit; illos vero vicinorum hoſpitumque ſuorum, ſempiterna dignorum memoria, et per totum terrarum orbem celebratiſſimorum (Deut. IV, 6-8) mentionem feciſſe, ita oſtendit erudiſſimus noſter Praepoſitus, vt credi facile poſſit. Principis ac Patriarchae Ioſephi coniux filia fuit Myſtae Heliopolitani, Gen. XLI, 45. Con-

 tem-

templarunt quoque Aegyptii Vrbem Templumque Hieroſolymae 1 Reg. XIV, 25. 26. inque Aegypto, paulo ante Solonis tempus, captiuitate ſub Babylonica commorabantur Ieremias aliique una cum illo Iudaei. Ier. XLIII, 6. Neſcire me fateor, quinam honos et vtilitas ex Atlantico nomine nobis poſſit accedere, cum Atlantum virtutes et felix conditio non ſolum, ſed et eorum vitia et interitus deſcribantur. Ergo exterorum reuerentiam talis hiſtoria nobis vix conciliat; riſum potius excitat. Nota ſunt, quae celeberrimi Viri Leibnitius ac Hollbergius hac de re ſcripſere.

Platonis de Atlantica narrationem adeo veram eſſe arbitror, vt, quae a tertio vel quarto referentis ore traditur, ſoleat; etenim illam a Critia Plato *), Critias a Solonis ſcriptis, ab Aegyptiis Sacerdotibus Solon **), hique a ſe inuicem hauſere. Itaque a *Nomine* ſuo; *Gente*, *Lingua*, *Situ*, *Terminis*, *Potentia*, *Metropoli*, *Arce*, *Templo*, *Lege*, *Regendi modo*, *Religione*, *Aetate*, *Virtutibus*, *Vitiis atque interitu* inueſtigari debet Atlantica; de quibus prioribus in capitibus erudite diſſeruit D. Auctor: cetera mittam.

I. *Nomen*

*) Fieri non potuit, vt Plato Solonis, qui C annos ante Platonem vixit, informatione ſubeſſet.

**) Non autem ab Anacharſi; ſic enim fieret, vt Platonis liber, *Nobilis* dictus, nullus foret et Atlantica nullo ſuperſtructa fundamento.

PRAEFATIO.

I. *Nomen Atlas* a Graeco ἄθλος, *certamen*, ante Palamedem cum τ pictum, deducitur, §. I. p. 2. Obiici quidem poteſt, Solonem ſexcentos annos vixiſſe illud poſt tempus, quo litera Θ communi vſu recepta erat; firma tamen perſtat eruditi Auctoris ſententia, licet ἄτλας a τλᾶν, *perferre, fortem eſſe* *), deriuaretur, athletam cum ſtrenuum ac Heroa deſignet Graecaque, vt et debet et a Critia monitum eſt, vox maneat.

II. INCOLAE ATLANTICES a X tribubus, haeque a X illis fratribus, ſuas referunt natales p. 16. Dum vero Atlas ceterorum parens dicitur § I. p. 1. § VIII. p. 16 ſeq. ſolum Tribus ac fratres ſuperſunt reliqui: Iſraëlis vero filii XII erant totidemque Tribus. Hic vero nodus tum facile explicatur, cum conſideramus, Iudam ac Beniamin unum conſtituiſſe populum, Leui ſortis expertem et Rubenem extra Atlanticam fuiſſe collocatum. Gadir quidem extra inſulam Herculis circa columnas ſedem habuit; id vero aperte commemorat Plato in Critia.

Atlantis eiusque filiorum appellationes, nulla ſolius praeter Gadiri excepta, in Graecam linguam a Solone ſunt verſae: earum in Aegyptiacum idioma interpretationes ſeruabat Antiſtes Saiticus, a quo earum ſignificatus didicit et in codicillis ſuis exarauit Solon, qui in Ebraicis X Iſraëlis filiorum nominibus

*) Vid. Etymologicum Magn. in voce ἄτλας.

bus facile inueniri poſſunt. Quum igitur Graecas voces a Gothicis fabulis Solon haud effinxerit, ſed Atlantica vocabula in Graecam linguam transtulerit; cogitet nemo, Aegyptium cum Graeco in Aegyptia de Gothis locutum fuiſſe, vtpote de *Thore*, *Thyſo*, *Balduro*, ceteris.

GAD, ab Arabico גדה *profuit* ſuperſtes vox, (unde Ebraicum גדי, *baedus*,) per ἔυμηλον, *ovibus abundans*, recte accurateque exponitur: maius vero artificium et fingendi vis ſane poſcitur, vt ex Gade Thyſum, (Τυς) *poma cuſtodiens*, exſculpamus. IOSEPH *additamentum* ſignificat, Graece ἀμφήρις, *ex additamento et aemulatione controuerſus*, ab ἔρις *contentio* *), quae vox ſcribitur per η, non per ε, ideoque ab ἀπφέρειν deriuari non poteſt. Ceterorum Ebraeorum nominum in Graecam linguam verſio recte omnino ſeſe habet; addam vero, quod, meo iudicio, SIMEON Διαπρεπής, *fama decorus*, *excellens*, et ISASKAR, qui minime praetereundus eſt, Μνήσευς, id eſt *memor beneficii*, *ponens mercedem*, appellari debeant. RVBEN vero, aliunde nomen trahens, ad hanc inſulam non pertinet.

Heic vero obſeruandum eſt, fratres hos Atlanticos eorumque Tribus primos non fuiſſe

*) Vid. Suid. in ἀμφήριστος. Suam cum Lea aemulationem, Ioſepho naſcente, prodidit Rachel. Cfr. Gen. XXX, 23. 24.

iſſe Atlanticae peninſulae incolas; habuit enim haec ſuos *αὐτόχθονας* ſeu *indigenas*, et quam primum Atlantae a Neptuno, hoc eſt a mari, proueniebant, amplam in regionem, eamque non vaſtam et incultam, ſed hominibus adfluentem, imperium illis ceſſit. Argumentum hoc eſt, quod multas contra erudit. noſtrum Praepoſitum obiectiones eludit atque refellit. Homines hanc prius inhabitauere inſulam, quam eius quaedam pars aquis demergebatur; qui mirandus caſus ante inſulae diuiſionem Atlantem inter eiusque fratres accidit. Primi Atlantices habitatores Europam Aſiamque verſus migrarunt; illas tamen ſua ſub poteſtate non tenuere: fortes quidem, non vero aeque ac Athenienſes.

III. LINGVAM Atlantum detexit praeclariſſimus D. Praepoſitus p. 36. §. XV. In allatorum robur multa addi poſſunt, dum plura indagandi occaſio nobis ſuppeditatur.

IV. REGIONIS longitudo ac latitudo exacte eſt emenſa p. 15. §. VII *). Quadrata eſt, oblonga tamen, in rectam fere lineam porrecta, in meridiem magis vergens. Inaequales X Tribubus terrae partes ſorte adſignatae fuere, cfr. Ioſ. XIV, 2. Num. XXVI, 54. 55. quae omnia de alia quadam terra, quam Iudaea, nequaquam dici poſſunt. Fertilitas

*) Vndenam vero quinque millium ſtadiorum deſumenda eſt longitudo?

tilitas huius ſoli eximia eſt atque peculiaris: etenim

α) *Metalla*, vtpote aes *), aeque fere pretioſum ac aurum, albi, nigri, rubrique coloris lapides protulere montes optime culti atque feraciſſimi.

β) *Aquas* et calidas et frigidas praebebant fontes, torrentes, foſſae et aquaeductus.

γ) *Segetem* largam ſubminiſtrauere duae vnoquoque anno meſſes p. 31. Odoriferas item herbas et lautiſſimos fructus, qui eſui, potioni et ferculis, ſecundae menſae apponendis, inſeruiebant.

δ) *Animalia*, vtpote Elephantes, beſtiarum maximi atque voraciſſimi. Haec omnia cum Iſraelitarum terra conuenire, §. XII. demonſtratum eſt.

V. Quod ad *Inſulae* SITVM attinet, Plato id ſolum refert, quod *ſub ſole* ſita eſſet *in mundi meditullio*. Adeo *ſoli ſubiacet* Palaeſtina, vt longiſſimus ibi dies atque nox XIV atque dimidium ſemi, breuiſſimus IX atque ¾ horarum ſpatium includat. *Vmbilicus terrae* Hieroſolyma olim dicebatur, eumque in finem ſua in *mundi meditullio* oracula Deus patefecit, vt illa eorumque fama circa totum orbem

*) Notatu dignum eſt, quod Georg. Zenkel de hoc aere et voce נחשת in Comment. Gram. Lingu. Ebr. Part. 2. ſcribit, hoc nimirum aere, dum extrueretur Salomonaeum Templum vſos fuiſſe Iſraëlitas; poſtea vero nunquam eſt repertum.

bem diſſiparentur. Pſ. CXLVII, 19. 20. Qua vero ratione ex Homeri teſtimonio inferri poſſit, quod Atlantica ſub Boreali ſtella (Vrſa maior) ipſoque axeos puncto iacere, me haud percipere poſſe fateor; namque de huius terrae ſitu ne γϱὺ quidem ibi exſtat, nec Homeri aetate huic ſtellae *vrſus curtusque* nomen impoſitum eſt. Vid. Hom. Iliad. Σ. v. 487 ſqq. et ſchol. ad h. l. De *vrſo* ac *Pleiade* ſolum canit Homerus, *prope Booten et Oriona ſitis*, h. e. Vrſa maior, *Graeciae Ioniaeque ſecundum Horizontem nunquam occidua.* Si ergo Atlantica ſub Pleiadibus et Vrſa maiore eam ſolum ob rationem ſita ſit, quod VII. Hyades, eius filiae, in Pleiades verſae fuerint; inde colligeretur, Atlanticam eo ſub latitudinis gradu iacere, qui Palaeſtinae cardini fere ſubiacet.

VI. LIMITES Peninſulae Atlanticae a Platone, qui ibi nec freti Hiſpanici, nec Angliae, nec ſinus Botnici mentionem fecit, deſcribuntur. *Mare* illud *limoſum* nullibi terrarum reperies, idem niſi ſit ac *mortuum*, a meridionali orientalique terrae Iſraeliticae plaga ſitum. Τὰ ἀτλαντικὰ πελάγη ἄπλωτα nuncupat Suidas. Peninſula eſt Palaeſtina: nam verſus occidentem illi adiacet *mediterraneum mare* ſeu Oceanus, orientem verſus *mortuum*, longitudine DLXXX, latitudine CL ſtadia continens; *Galilaeum*, cuius longitudo C, latitudo XL ſtadia complectuntur; *Lacus Merom* latitudine XXX, longitudine LX ſtadiorum,

orum; *Iordanique fluuius* ex vno in alterum mare labens. Atlanticum mare olim πορεύσιμον, i. e. *tale*, *vt ſupermeari poſſet*, fuiſſe tradit Plato. Quae de Herculis columnis dicuntur, vide §. IV. p. 7. §. VIII. p. 17.

Atlantum vero imperium extra Inſulam ad Tyrum vsque, verſus Septentrionem et Aegyptum meridiem verſus extenſum erat: eiusdem quoque indolis Iſraëlitarum fuit. Vid. §. VI p. 14.

VII. *Atlantum* POTESTATEM, diuitiis, copiis omnibusque ad militiam pertinentibus ſubſidiis conſpicuam, exacte ſatis tradit Critias, quae ſingula illae omnium opum potentiaeque affluentiae, Salomonis quae tempora nobilitauit, optime aequiparari poſſunt. In primis Res militaris digna eſt, quae obſeruetur: Equitum Salomoni duodecim erant millia, Atlantibus decem millia; quadraginta millia equorum, curribus iungendorum, Salomoni et totidem Atlantices incolis fuere, nimirum XX millia equorum X millia vehiculis bellicis atque praeter hos XX millia equitibus inſeruirent, qui omnes, in ſummam collecti, XL millia equorum efficiunt. Naues bellicas nec Atlantica nec Palaeſtina habuit, neque harum terrarum vlla in Aſiam, Europam, Africamue dominatum tenuit.

VIII. Narratur, REGIAM VRBEM Atlantices α) in medio peninſulae β) locoque montoſo eſſe ſitam, quem γ) campus, a montibus undequaque cinctus, circumdabat.

Seiun-

Seiuncta quoque erat Metropolis δ) foſſa ac ponte ab Arce Regia, eamque ε) aqueae foſſae, quibus ζ) pontes erant impoſiti, tresque portus adiecere. Complectebantur, item et η) murus, qui circa foſſae oſtium mare verſus claudebatur. θ) Deorum ibi fuit domicilium.

Pari ratione Hieroſolyma, vrbs illa primaria, α) in medio Iudaeae erat poſita, cfr. Pſ. LXXIV, 12. Hez. VIII, 12., β) ſuo ambitu Zionis, Moriae et Akrae montes comprehendens, γ) campo item, quem montes circumquaque claudebant, cincta atque δ) profunda foſſa, Millo dicta, 1 Chron. XI, 8. ponteque magnifico a Regia Arce ſeu Zionis Munimento ſeparata, 2 Sam. V, 9. quae omnia ε) foſſae, aquaeductus atque ζ) pontes ambiuere. Ab orientali parte torrens *Kidron* erat; incertum vero, an nauigabilis fuerit; occidentem verſus ſuprema ciſterna *Gibon* 2 Reg. XVIII, 17. et aquaeus ductus, qui inde in torrentem *Kidron* decurrit. Ab occidentali Vrbis Dauidicae parte, 2 Chron. XXXII, 30. boream verſus foſſa erat aquea, quae ab inferiore et magna illa ciſterna deducebatur. 2 Reg. XX, 20. η) Muro Hieroſolyma Zionisque munimentum circumſeptum erat undiquaque, qui circa aquae oſtium, vbi foſſa de *Gibone* in *Kidronem* deriuabatur, a meridionali orientalique plaga Mortuum verſus Mare ſeſe claudebat.

Nullus Hieroſolymae portus, vbi latere poſſent naues, inueniebatur: Aegyptiaca igitur narratio hoc loco plura, quam quae extitere, refert. Rubrum tamen mare vnicum portum, et mediterraneum duos Iudaeis praebebant. §. XI. θ) Hieroſolymae aedem Deus habuit, ignem fornacemque. Pſ. CXXXV, 21. Eſ. XXXI, 9.

IX. AEDEM ARCEMQVE REGIAM *Atlantum* α) monti ſuper impoſitam eſſe traditur in loco decliui, β) aquae foſſis atque vallibus, ſuper quas γ) magnum curriculum multaeque Satellitum domus erant, munitam. δ) Lapideus praeterea murus, cuius exteriora latera aere, interiora fuſo ſtanno, obducta erant, hanc inſulam, longitudine V ſtadia continentem, ambiebat. ε) Latus ſatis atque turritus pons vrbem adiunxit arci, ζ) antea, quam templum conditae, atque albo, nigro rubro ac diſcolori ſtructae lapide. η) Regia haec aedes villa quoque cingebatur, quae, pretioſiſſimo aere conſtans, ignis inſtar fulgebat ſuisque adeo eximia erat Regibus, vt eiusdem magnifica indoles atque amplitudo in ſui admirationem omnes raperent.

Huic arx nulla potius, quam Dauidis, aequiparari poteſt. Iſraëlitarum enim Regia Aedes α) monti Zionis erat ſuper impoſita, β) aqueis foſſis vallibusque circumdata: γ) vrbs praeſertim Millo aedibus ſuperbiebat

bat et multis et magnificentiſſimis 1 Reg. IX, 15. δ) Inſulae inſtar munitae, muro turribusque circumuallatum erat hoc caſtellum, ε) ponte vrbi ipſi iunctum atque ζ) Dauidis opera exſtructum. Vid. 2 Sam. V, 9. η) A Salomone vero pretioſis excifisque lapidibus a fundamentis ad tectum vsque ampliatum: θ) hoc ab exteriore parte Villa magna ſiue Atrium ambiebat 1 Reg. VII, 9. ι) Quae admirentur, digna omnino fuere ſplendidiſſimum hoc aedificium eiusque apparatus omnes. 1 Reg. X, 4. ſqq. 18. ſqq. Vid. §. V.

X. *Atlantum* TEMPLVM eiusque et longitudinis et latitudinis menſuram exhibet §. IX. quae pluribus adhuc probationibus ſtabiliri poteſt. Dedit heic Plato parietum, tecti, pauimenti, fulcimentorum columnarumque, quae et extra et intra ſacram aedem erant, talem deſcriptionem, qualis eſt Templi Salomonaei. a) In plures diuiſum fuit partes, quarum vnam nemini intrare licuit, alia bouibus mactandis, alia his comprehendendis deſtinata erat. b) Neptuni quidem erat totum Templum, chorus tamen Clitoni item fuit conſecratus, auro obducta pariete ſeparatus, c) quem ingredi primis temporibus, enaſcentibus Tribubus, omnibus concedebatur: non vero poſtea. d) Deus ipſe, curru vehens, cui ſex alati equi adiungebantur, tanta gaudebat proceritate, vt te-

ctum attingeret. e) Magnitudine et artificioſa ſtructura altare erat conſpicuum. f) Aere dilucido, aeque fere, ac aurum, pretioſo obducta apparebant pauimenta ac parietes. g) Extra templum aureae columnae conſpiciebantur.

Eadem etiam incomparabilis Templi Salomonaei ſtructurae fuit ratio. a) Aede ſacerrima, ſeu, vt dicitur, *Sancto Sanctorum*, *Sancto* atque *Atrio* Templum conſtabat; et ſic erat tripartitum. b) Sacerrimum, cui ſuae fuere poſtes ac cortina, a cetero aedificio inauratus paries ſeiunxit. 1 Reg. VI. 21. 23. 2 Chron. III, 14. c) Tabernaculum intrare Moſi licuit; nulli vero poſtea alii, quum a Pontifice Maximo diſceſſerimus. Num. VII, 29. d) In nubea columna ſupra propitiatorium, vbi Cherubimi extenſis alis ſtabant, conſpiciendum ſeſe praebuit Deus, Pſ. XC, 7. 1 Reg. VI, 27. Hez. X, 19. XI, 22. e) Altare vna cum parietibus pellucido auro, f) pauimentum vero aureis lamellis, obducta erant. 1 Reg. XVII, 22. 30. g) Exteram Templi partem aureae columnae ornabant. 1 Reg. VII, 21. 45.

XI. MORALIS *Atlantum* LEX a Deo in orichalcea tabula, in templo ſeruata, inſcripta fuit. In altare vero *inſtituta Ritualia*, quae circa ſacrificia obſeruarentur, quibus quaedam adiecere Reges. *Forenſem legem* quoque illis Deus exhibuit, plus quam humana praecepta

cepta vi valentem atque efficacitate, ſecundum quam, plurimorum iuratorum iudicum ex ſententia, feſto atque annuo die, in templo qui celebrabatur, de crimine damnarentur rei.

Ita quoque lapideis inciſa fuit tabulis *Lex Moralis*, a Deo lata Iſraëlitis, Exod. XXXII, 16. inque Arca aſſeruata, Deut. X, 5. *Mandata Caerimonialia* Moſes conſcripſit, itidem in Templo cuſtodita, Deut. XXXI, 9. quibus ritus quosdam addidere Reges poſt venientes. *Forenſia iuſſa* ipſe Deus edidit, Exod. XXI, 1 ſqq. quae, nulla habita, perſonarum ratione, Deut. I, 17. poenam ſceleſtis irrogabant, Deut. XIX, 13. in Dei conſpectu adſtantes iudices, Num. XI, 16. tribunali, quod intra Templi Atrium fuit, aſſedere. Goodw. pag. 411.

XII. Ita ſtatutum erat ordinatumque ATLANTICUM IMPERIUM, vt a) Maximus natu Regis filius patris in locum ſemper ſuccederet. b) Sexcenti Gubernatores, quorum vnicuique ſua adſignata erat Tribus, Regibus erant: prima vero tempeſtate decem Praetorum vnusquisque ſuae praefuit regioni. c) Conueniebant hi ſexto ſeptimoue quouis anno, de Legum obſequio, concordia ciuium, bello et ciuitatis tutela conſultaturi. d) Qua occaſione ad Legis cuſtodiam, iureiurando dato, ſeſe deuinxere. e) Horum ſtatuta columnae inſcribebantur.

 a) Iſra-

a) Iſraëliticum quoque regnum primumgenito ceſſit, Geneſeos XLIX, 3. b) Populo DL. Praetores praefecit Salomon, 1 Reg. IX, 23. antea vero vniuscuiusque Tribus primariis atque capitibus munera adminiſtranda Moſes tradidit, Deut. I, 15. c) Septimus quisque annus ſabbatho colendo dicatus erat, qua occaſione Lex publice quoque recitabatur. Deut. XXXI, 10--13. d) Conueniſſe Tribus, ad legem ſancte ſeruandam ſeſe obſtrinxiſſe, e) omniaque tum facta atque decreta Diuinarum legum codici mandata fuiſſe, narrat Ios. Cap. XXIV. 16---26. cfr. §. X.

XIII. *Atlantum* DEVM COLENDI MODVM eiusque cum Iudaeorum conuenientiam § X. percenſet eruditiſſimus noſter Auctor. a) Ad ſolemnia et anniuerſaria ſacrificia facienda ſingulo anno conuenere. Vide Exod. XXXIV, 23. Deut. V, 6--12. b) *Absque ferreo inſtrumento* bos mactandus comprehendebatur. Vt integer et absque plaga mactaretur. Leuit. I, 3. c) Ad altare iuxta tabernaculi ianuam coram Dei conſpectu adducebatur. Leuit. I, 3. d) Piaculares ſuas victimas ſanctas redderet populus acceptasque. cfr. Leu. I, 4. XVII, 11. e) Die ſacrificanda mactabant, f) et caeſi bouis membra Deo faciebant grata cfr. Exod. XXIX. 26--27. g) Libamenta dum Deo offerebantur, in ignem aram-

aramque vinum defundebant. cfr. Syr. L, 17. h) Altare circumcirca a ſordibus quisquiliisque purgabatur; cfr. Exod. XXIX, 36. i) Hyacintinis atque talaribus amicti erant veſtibus, quae, vt pretioſiſſimae pulcerrimaeque, in Templo condebantur. *) k) Peractis ſacrificiis, epulabantur. cfr. Exod. XXIX, 32. Leuit. VII. Deut. XII, 7.

XIV. De AETATE, qua Atlantum res proſpere ſuccedebant, refert Plato nouem millia annorum Aegyptiacorum (id eſt DCCLX ſolares) ante eorum interitum bellicam expeditionem migrationemque in Europam ſimulque in Aſiam, praeſertim vero in Graeciam, vno impetu factam fuiſſe; quae res eo tempore accidit, quo Cananaei coacti erant, vt ſedes ſuas relinquerent, quas deinde occupatas inhabitarunt Atlantae Ioſuae aetate, a qua DCCLVI. anni ad decem Tribuum vsque expulſionem, regnante Hoſea, et Babelicam Regis Manaſſaris captiuitatem accurate effluxere; plus vero quam DCCC anni ad Hieroſolymae euerſionem vsque atque Solonis tempora.

Si vero in contrariam partem nobis obiiceretur, quod CCCC intra annos poſt diluuium a Iaphete, Noachidis filio, tantus

 ortus

*) Exod. XXVIII, 6. תכלת *hyacintinus*, vid. Stock. Lex. Hebr.

ortus ſit populi globus, vt toti Europaeō orbi dimidiaeque Aſiae parti incolas ſubminiſtrare potuerit, quodque intra idem tempus tanta populorum migratio a terra, quae nihilo tamen minus ab incolis ſuis inhabitabatur, facta ſit, vt totius Europae Aſiaeque habitatores, conſanguinitate ſecum iunctos, immo et Africam imperio ſuo ſubiiceret; nimia hac in re ſane narrarentur. Iſraëlitici generis in Aegypto fecunditas haud ſufficit; neque Iapheti diuinitus large data felicitas eiusque liberorum primogeniturae ius in eo poſita erant, vt ſe ipſos mutuo perderent. Suecigenae ſaltim minime ſibi glorioſum putent, gentem quandam illos expuliſſe aut ſubiugaſſe, quod tamen primis Atlanticae incolis euenit. Si ergo prima Atlantum *militaris expeditio* adeo retro poneretur, aut Solon per quingentos ſexcentosue annos vitam egiſſet, quod cum veritate parum congruit, aut etiam narratio eius de Atlantica ad Septemtrionem non ſpectaſſet.

XV. *Atlantum* VIRTVTES, vt a Platone deſcribuntur, quae Paganis tribui vnquam poſſent, plane ſuperant. Diuina enim natura totam illorum mentem ita occupabat, Leuit. XXVI, 17. vt non niſi veris et ſupra mortalitatis circulos eleuatis cogitationibus toti indulgerent. Deorum Deum (Deut. X, 17. Pſ. CXXXVI, 2.) nouerunt, omnia ſcientem, iuſtum, clementem, poe-

nis

nis homines ad meliorem frugem reducentem. (Ierem. XXX, 11.) Vitam, vera felicitate affluentem, ante oculos ponentes, (Deut. XXX, 19. 20.) praeter virtutem, omnia flocci habebant onerisque inſtar ducebant terrena oblectamenta, quae tamen virtute nobilitantur; mortalium vero corrumpunt mentes, maiori, quam fas eſt, cupiditate ac deſiderio ſi expetantur, illisque iuſto maius pretium ſi ſtatuatur. (Deut. XXVII, 1. 2. 10.)

XVI. VITIA *Atlantum*. Exponuntur. Ad mala procliuis hominum animus eorumque peruerſi mores tantum cepere incrementi, vt conceſſa proſperitate abuterentur; quo fiebat, vt, auaritiae iniuſtitiaeque abrepti violentia, optima quaeuis pretioſiſſimaque peſſumdarent. Haec eadem vitia atque male facta paulo ante Iudaeorum reipublicae occaſum, iisdem fere verbis, Iudaeis ob oculos poſuit Vates Hezekiel. Vid. Hezek. IX. 9. 11. 12. et cfr. 2 Chron, XXXVI. 14. 15. 16.

XVII. De POENA, quam ſua ob delicta ſubiere Atlantae, plura quidem, quam quae iam ſuperſunt, ſcripſit Plato; id tamen ex illius Critia conſtat; Deum, ſuas contra illos copias ducentem, ampla, qua antea fruebantur, poteſtate eos exuiſſe; quo factum fuit, poſtea vt dedecori eſſent omnibus. Confr. Deuteron. XXVIII. 37. He-

zek. V, 15. XXIII, 32. Summus omnium Deus, cetera Numina ad ſplendidam eorum aedem conuocans, iudicium latum Atlantis indixit atque poenam. Eodem modo Iſraelitarum Dei Maieſtas ac nubea columna, quae ſupra Cherubimos conſpiciebatur, paulo ante Hieroſolymae demolitionem e Templo ac Vrbe migrauit quaſi atque fugit. Hezek. X, 18. 19. XI, 23.

Atlantices pars, terrae quodam motu ſubſidens, in limum conuerſa fuit, id vero ante natum Atlantem inſulaeque in decem Tribus diuiſionem; ideoque parti tantum inſulae haec ſubmerſio euenit. Huc pertinent triſte illud Sodomae, Abrahami aetate, exitium, quaeque de Mari mortuo refert ſacer codex Geneſeos XIX. vid. §. XIII.

Probant ſatis haec omnia, ea, quae de Atlantis Plato quondam narrauit, in Iſraelitarum hiſtoria plus, quam in vlla alia, inueniri ſimilitudinis atque firmamenti. Heluetus quidam, Ioannes Serranus, ducentos ante annos paucis verbis haec quidem obſeruauit, *); argumentis vero et allatis rebus circumſtantibus prius, quam eruditiſſimus atque acutiſ-

*) In argumento ad Platonis Critiam: *Ex Moſaicae hiſtoriae regula omnis haec narratio de Atlantibus expendenda eſt.*

acutiſſimi ingenii Vir, Dominus Praepoſitus EVRENIVS, nouam hanc rem demonſtrauit nemo. E Platone teſtimonia non ad verbum, ſed eorum tantum ſenſum, adduxit. In Latina verſione defectu, obſcuritate atque mendis inuoluta deprehenduntur multa. Itaque, quum propriis intueri potius oculis, quam in Magiſtri verba iurare, malint veritatis aeſtimatores, Viri cuiusdam, dignitate conſpicui, ſuaſu atque conſilio morem geſturus, e Platonis Critia ac Timaeo, quae ad Atlantas pertinent, in Suethicam linguam vertenda curaui, idque, cum alius mihi in promtu non eſſet, literarum in Gymnaſii Stregneſenſi Studioſi opera, qui, in patrio ſermone licet] adhuc minus exercitatus ſit, Graecae linguae natiuas proprietates accurate expreſſit.

Vtrum Suecia Atlantica olim ſit appellata, nec ne, res quidem magni momenti non eſt. Si vero in eo induſtria noſtra verſaretur, vt oſtendamus, ipſisque paganorum ſcriptis demonſtremus miranda Dei opera, ſumma benificia, Iſraelitico populo collata, iuſtiſſima iudicia grauiſſimasque huic genti, vt reſipiſceret, indictas poenas; a noſtra parte ſacra ſtant Oracula, Deut. XXVIII, 1. 2. 10 ſqq. XXIX, 24 ſqq. eoque opere maxima Dei poteſtas, clementia atque gloria manifeſtae redduntur omnibus. Res haec multi ſane vſus fructusque eſt. Quam ob rem operae pre-

tium

tium eſſe exiſtimauerim, hoc in argumento meas periclitari vires: ſi igitur ad veritatem reique illuſtrationem quid conferre valuerim, gratiſſimum mihi erit; ſin vero haec mea induſtria aliorum non mereri potuerit calculos, id aegre ac dolenter non feram. Certa nihilo tamen minus eſt res, quod *veritas temporis ſit filia.*

Dabam Garſingiae.
d. XII. Aug. A. MDCCLI.

CAROLUS FR. LYUNGBERG.
Arch-Praepoſ. Strengnes.

CAP. I.

CAPVT I.

DE

ATLANTICA.

Quum ea ſit Hiſtoriae gentis Iſraëliticae natura & indoles, vt eius facies non minus vera ſit & perantiqua, quam miranda & prorſus ſingularis, ita quoque horum memoriam vicinae gentes numquam depoſuere, ſed hanc vnaquaeque poſteris mandandam anxie curarunt; itaque etiam ab antiquiſſimis temporibus multa de rebus Iſraëliticis, tamquam peculiaria quaedam ac Diuina, mirabundae tradidere. Alia vt taceamus nomina, quibus percelebris haec natio inclaruit, ipſa regio, *Atlantica*, & homines ibi degentes, *Atlantae* a Graecis nuncupati fuere.

Hanc terram, qua nihil praeſtantius orbis viderat vniuerſus, talibus depingit coloribus Plato, vt omnium gentium, exceptis Iſraëlitis, in gloria tam priſca ſibi tribuenda, opera hucusque vana fuerit atque fruſtranea. Qui vero Platonis deſcriptionem cum Iſraëliticae gentis Hiſtoria, nulli deditus parti, conferre voluerit, ea tam apte collineare inueniet, ac ſi de vna eademque natione dicta eſſent ſingula.

A ſequentibus, quae ob oculos ponere ſtatuimus, manifeſtis indiciis euidentiam huius rei nos oſtendere poſſe confidimus. Patebit haec

I. *a voce Atlas*, quae Graeca omnino eſt et denotat, vt eruditis ſatis conſtat, *Heroa*, *Athletam ſtrenuum*, teſte Heſychio in voce Atlas: Ἄθλας ἐςὶν ὁ κρατερὸς. h. e. *Atlas eſt vir robuſtus & ſtrenuus;* hinc *Athleta* Graecorum & Latinorum, poſt Palamedis tempora cum Θ pictus; apud Graecos enim, vt ſatis notum, Solonis tempore in vſu tantum fuit littera T. Irritus igitur illis ſane eſt labor, qui vocem *Atlas* ab alia quadam lingua ac Graeca deriuare volunt. Et quidem ipſe Plato, qui hoc vocabulo in ſua, de Atlantica, Hiſtoria vſus eſt, omnes ſubuertet coniecturas. Etenim non tantum teſtatur, vocem *Atlas* vna cum aliis nominibus propriis, quae ab eo in eadem fabula vſurpantur, Graeca eſſe; ſed et cauſſam, cur in exotericae gentis hiſtoria nomina Graeca adhibuerit, in Critia p. m. 112 aperte indicat: *id autem*, inquit, *prius ſignificem, quam de Atlantica Hiſtoriam inchoem, ne, quum plurima Barbarorum hominum*

minum *nomina Graece audieritis, mirum illud vobis videatur.* *Cauſſa haec eſt: cum horum nomina ſuis carminibus inſerere vellet Solon, vim ipſam nominum eſt perſcrutatus, inuenitque, Aegyptios ea in ſuam quoque linguam antea transtuliſſe; ita & ipſe vniuscuiusque nominis ſignificationem aſſumens, ea noſtri* (Graeci) *ſermonis veſte donauit.* Immo haec vocum peregrinarum in Graecam linguam vertendi ratio antiquiſſimorum temporum firmatur conſuetudine, teſte Euſtathio in not. ad Dionyſ. perieget. v. 14. *Veritas,* ait, *eſt minime fucata, quod apud Graecos voces exoticas in ſuam linguam transferendi mos locum obtinuerit, ſeruata ipſarum vocum ſignificatione.* Eſt igitur nomen *Atlas* ſine dubio origine Graecum.

Hac re enodata, ille, cui diſpicere placuerit, quis hic ſit *Atlas* & quaenam terra *Atlantica*, in Hiſtoriis antiquiſſimis viri cuiusdam celebris nomen inquirat, quod quoad ſignificatum idem eſt ac Graecorum *Atlas*, vel cuius nomen forte denotet *luctatorem & Athletam.* Alii omnes id fruſtra ſcrutentur: mihi vero omnino perſuadeo, Graecorum *Atlantem* cum Ebraeorum *Iſraële* ſignificatione appoſite conuenire. Ipſe Deus ita: *Iſraël erit nomen tuum, nam cum Deo & hominibus luctatus es, & praeualuiſti.* Geneſ. XXXII, 29. Compoſitum eſt *Iſraël* a שרר *principatum tenuit,* vnde שר *Athleta*, Graece ἆθλος, et אל κρατερὸς ſiue *fortis*. Quoniam autem τὸ *Iſraël* vnum idemque ſit ac *Atlas*, erit terra Iſraëlitarum vera *Atlantica*, in Cananaea ſita Orientali, licet alii vel in America, vel in Africa, immo etiam in Septem-

trionalibus noſtris regionibus eius limites poſuerint. Notandum quoque eſt, vocem שרי apud Graecos non tantum *Atlantem* ſignificare *imperantem*; poteſt enim per πάλλειν, μεδεῖν, βριᾶν & βασιλέυειν recte transferri. Hinc deprehendimus, omnia de Pallade, Medea, Baſilea & Briareo Poëtarum figmenta Iſraëlem populumque Iſraëliticum ſpectare.

II. argumentum nobis praebet *Chronologia*. Plato in Timaeo nouem annorum millia numerat a *bello Atlantico* ad Solonis tempora. Tantae igitur antiquitatis hoc fuit bellum, vt omnibus, praeter Aegyptios, ignotum erat gentibus. Quaenam autem vera Hiſtoria talem tradet & tam perantiquam expeditionem bellicam, qualis fuit Iſraëlitarum? Saiticus ille Myſta, qui hunc annorum numerum memorat, natione erat Aegyptius, ideoque annos Aegyptiorum more computat: vnus nimirum menſis, h. e. XXX dies, vnum abſoluebant annum. Cfr. Plin. L. VII. c. 44. Syncellum p. 41. Diod. Sicul. L. I. c. 26, Atque adeo nouem millia annorum Aegyptiacorum reſpondent 739 annis Solaribus. Iſraëlitarum bello cum Cananaeis finem non prius fuiſſe impoſitum, quam tempore Athnielis, videre licet ex Iudic. III, 1-11. A fine huius belli ad aedificationem templi 365 anni computantur. Cfr Kroks Alm. An. 1706. Per. IV. Inde ad Templi deſtructionem anni 427. Cfr. l. c. inde ad primum imperii Cyri annum anni LI. l. c. qui ſimul ſumti anni ſunt 824. Cfr. Rudbeck. Atlant. T. I. p. 772. 773. Subtractis iam LXXXV

annis,

annis, quos Solon adhuc iuuenis ante Cyri tempora in Aegypto, ſtudiis & colloquiis, de Atlantica cum Saitico Antiſtite inſtitutis impendebat, 739 ſuperſunt anni Solares, ſ. 9000 Lunares vel Aegyptiaci, qui inter magnum illud Atlantum Iſraëlitarumue contra hoſtes bellum & Solonem interceſſerant. Vix crediderim, vllam gentem, excepta Iſraëlitica, tales tamque antiquas bellicas res geſtas poſſe oſtendere. Itaque, ſi cuinam Atlanticam Atlantemque ſuum facere libuerit, vix tam celebre vetuſtumque bellum e quibusdam vulgi hiſtoriolis in medium protrahet. Tam diu ergo Atlantica Iſraëlitis vindicanda, quam diu hi ſoli & vnici bellum poſſint oſtendere, vetuſtate cum hoc & annorum numero conſpirans. Hoc quoque concludi poteſt

III. EX ATLANTVM HOSTIBVS, quos Solon in Critia p. 1101 fuiſſe dicit *Graecorum maiores, qui eumdem Iſthmum inhabitauere ante aduentum Atlantum, eo tempore, quo huius Iſthmi pars aquis ſubmerſa fuit: Eridanum enim & Eliſſum habitarunt.* Sed, (addit in Timaeo) *pulſis his ab Atlantis Graecorum maioribus, pars quaedam exigua ſuperſtes fuit, ex qua Athenienſes originem ſuam duxere. Hi autem exules cum Aegyptiis genere fuere coniuncti, & corporis habitu & ſtatura percelebres.* Iam neminem eſſe exiſtimauerim, qui ex hac narratione Cananaeos non agnoſcat. Namque, quod hi a Ioſua expulſi Cananaei Graeciae primi fuerint incolae, Clericus & Loeſcher. in Ion., Bochart. in Canaan, Abel in Hiſt. Orb. Ant. & Procopius in

rebus Vandal., argumentis iam diu probarunt plurimis. Gentium Graecarum nomina ex Ebraicis fontibus ducta, vtpote *Emathria* ab Hamath, Num. XIII, 22. *Arcadia* ab Archi, Geneſ. X, 17. *Dodania* a Dodanim. v. 7. *Pelaſgi* a פלשתים & *Athenae* ab אתנה, progeniem Cananaeorum ſatis monſtrant. Nullum igitur eſt dubium, quin Atlantum hoſtes Cananaei fuerint, quorum *terrae pars, quae demergebatur, planities fuit Sodomitica*, Gen. XIX, quae a Graecis hanc ob cauſſam Phlegra & Phlegeton &c. nuncupatur. Famoſiſſimus autem Eridanus ſ. Iordan, qui in Aſphaltite, Sodomae illo mortuo mari, illabitur (Cfr. Plin. L. V. 15. Cluu. Geogr. Lib. V. 20. Sap. X, 7. Strabo L. XVI. Solin. c. 48) & tam a fulmine, quam a continuo exhalante & auibus peſtifero foetore memorabilis eſt atque notus, a Platone viuis adeo characteribus depingitur, vt nullus alius in toto terrarum orbe fluuius ita comparatus eſſe poſſit. Hunc Apollod. Arg. L. IV. v. 596 taliter deſcribit: *tandem Argonautae in ipſum penetrarunt fluuium, Eridanum, vbi quondam, fuliginoſo tactus fulmine Phaëthon, ſemiaſſus exciderat cum Solis curru in lacus profundiſſimi oſtium, qui in hodiernum vsque ex aduſto vulnere tam intolerandum emittit halitum, vt nulla aquam iſtam, leuibus licet diſpaſſis alis, volucris ſuperuolare poſſit.* Hinc a Poëtis haec palus ἄορνος, h. e. *volucribus carens*, appellatur. Cfr. Lucret. L. VI. *Phaëthon* vero (a φαίνω) Ebraice dicitur ברע, vnde *Bera* Rex Sodomae Gen. XIV, 2. tempore Abrahami, cuius abauus fuit Cham חם *Sol* a Rad. חמם: Poëtis igitur anſa fuit data

fin-

fingendi, Phaëthontem Solis fuiſſe filium. *Bera*, Rex Sodomae, Chami filius, ille fuit Phaëthon, qui vna cum quinque vrbibus conflagrauit. Et ne quis cogitet, nos hac in re erraſſe, ex Platone addimus, apud Eridanum ſitam fuiſſe vrbem *Eliſſum* h. e. Gilgal: Eliſſus enim eſt ab ἑλίσσω voluo, Ebr. גלל, vnde Galilaea & Gilgal. Ioſ. V, 27. IV, 19. 20. IX, 3. Heic Atlantae poſterioribus temporibus habitarunt: paullo autem antea Cananaei eorum accolae fuere & hoſtes, quos Plato tradit, *Aegyptiis cognatione fuiſſe iunctos*: Canaan enim frater erat Mizraimi Geneſ. XVI. Corpore adeo procero erat haec gens; vt Iſraëlitae cum hac comparati locuſtarum inſtar viderentur. Num. XIII, 29. 34. Deut. IV, 1. 9. 38. Videmus igitur, quam aperte in Cananaea inueniantur omnes, a Platone de Atlantica allatae, circumſtantiae: contra, non ſine ſumma difficultate, quemquam in toto terrarum orbe locum nominare poſſumus, qui vel vnico ex his omnibus criterio gaudet. Atlanticam ergo & Cananaeam eamdem eſſe regionem tuto aſſeueramus.

IV. Argumentum petimus ex ITINERE ATLANTVM PER MARE RVBRVM. *Traditur*, inquit porro ille Aegyptius in Tim. p. m. 1045, *veſtram ciuitatem reſtitiſſe olim innumeris hoſtium copiis, quae, ex Atlantico Mari profectae, cunctam prope Aſiam Europamque obſederunt*. Vbi vero illud mare ſit, luculenter indicat Herodotus L. I. c. 203. *Id*, ait, *quod extra Columnas eſt, Atlanticum dictum, & rubrum idem eſt mare*. Στηλαὶ

 ſiue

ſiue *Columnae Herculis* vel fuit vox translata ab Ebr. אמרך Amoraei Exod. XXXVIII, 36. XIII, 27., qui in Arabia prope rubrum mare habitarunt: vel etiam denotant hae ϛῆλαι *Columnas illas igneas & nubeas*, quae integris XL annis Iſraëlitas per Arabiae deſerta comitabantur & colebantur a Tyriis, vt Sanchuniaton, a Philone Byblio verſus, apud Euſeb. in Praep. Euang. ita refert: *Vſocis Hypſoronii frater duas Columnas Tyri, vnam igni, & alteram vento conſecrauit, adorauit & ferarum ſacrificiis coluit.* Ex columnarum nominibus, quarum vna *Vbila* dicta ab עב nubes, noſtrae ſententiae praeſidium habemus. Bocharti teſtimonium tale eſt in Can. L. Tr. 9: *Notandum eſt,* עב *Ebraeis pro columna ſumi.* Sic Exod. XIX,. 9. Venio ad te בעב בענן, *Graece ἐν ϛήλῃ νεφέλης, h. e. in columna nubis. Et inde origo fabulae de columnis Herculis, cum* עבילא Abilam *pro monte excelſo & ſilua celſa interpretantur.* A Graecis quoque dictae ſunt *Dioſcurides*, a Διὸς & κοῦρος, Ebr. בני האלהים, *Dei progenies*; de qua re ita Suidas: *Dioſcuri vocantur apud Aelianum Caſtor & Pollux & duae erant columnae, quarum vna ſemper inſtar ignis apparebat, vt Caelius Rodiginus etiam affirmat* Lib. X. c. 6. Diod. Sic. L. IV. 44. eas *duas fuiſſe ſtellas exiſtimat, quae viam per Mare Orphei comitibus monſtrare poterant.* Valerius Flaccus L. I. 568 & ignem & nubem illas appellans, *ingens*, ait, *ignea flamma e nube erupit taedae inſtar ardentis, & deinde mare ſeſe illis vltro aperuit.* Et quum vna *nocte*, altera vero *die* Iſraëlitis lucem

prae-

praeberet, hos de illis apud Virgilium L. VI. v. 121 Aeneid. verſus legimus:

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties.

Vnam igitur Columnarum fuiſſe *igneam*, alteram *nubeam*, vel vt Voſſius Idol. L. I. 12. narrat, vnam *Apollinis*, h. e. ignis, alteram *Neptuni*, h. e. nubis, ſignum, iam nobis ſatis ſuperque conſtat. Quum vero hae non niſi in Arabia inuentae ſint, Atlanticum Mare harum in viciniis quaeramus, oportet, quod & Strabo his verbis ita indigitat Lib. XVI. p. m. 528: *Arabia Felix ad auſtrum porrigitur vsque in Atlanticum pelagus, & eam poſt Syros & Iudaeos incolunt homines agreſtes.* Huic concinit Dionyſ. Periegetes v. 558:

Habitant boue fecundam Erythriam
Atlantis circa Mare diuini Aethiopes.

h. e. *In terra Edom, pecoribus abundante, filii Chus habitant ad Mare Atlanticum.* Ἐρυθρὸς enim eſt *ruber*, vt אדם Edom. Geneſ. XXV, 25. Chus, Graece dictus ἄιθιοψ, ab ἄιθω vro, in Arabia ſedem habuit. Geneſ. XVI, 7., vt Edom & Eſau ad Mare rubrum, quod Platonis fuiſſe Atlanticum, ex eo concludimus, quod itidem ſcriptor commemoret, Atlantas hocce mare transiiſſe & inde in Aſiam migraſſe. Addit Myſta Saiticus l. c. *tum enim erat fretum illud peruium;* quod & ita narrat Herodotus L. II. *Phoenices a mari rubro dicuntur in hoc noſtrum profectos, & ibi poſuiſſe ſedes.*

Itaque a Val. Fl. L. I. 1. Arg. hoc Mare vocatur *fretum peruium. Nam apud huius maris accolas, veteri fama, quam a maioribus acceptam tradunt, fertur, magno maris receſſu, omnibus locis eius ſinus arefactis & mari in oppoſitas partes relabente, fundum coloris viridis apparuiſſe, & rurſus immenſo aeſtu mare refluum in priorem locum eſſe reſtitutum.* Diod. Sicul. L. III. c. 40. Iam vero Iſraëlitae vnici ſunt, qui per rubrum mare tranſiere, vide Ex. XIV, 21. Num. X, 3. Deut. I, 20. X, 22. &c.; itaque, ſi alia non adfuiſſet ratio, haec ſola abunde probat, illos genuinos ac veros fuiſſe Atlantas, qui, per hoc mare, ab Africa in Aſiam venere. Et quamdiu alios quosdam nemo, nec ex Septemtrione nec ex alia orbis plaga afferre poſſit Atlantas, quibus haec allata applicari poſſunt, tamdiu ſperamus, fore, vt Iſraëlitae Atlantum nomen ſibi ſeruent iure meritoque.

V. Arg. a NOMINE ATLANTICAE NESOS. Inter alia haec Plato: *Atlantica in veſtibulo & ore freti huius ſita erat paullo infra νῆσον*, noſtris Uaß. Si inſula quaedam, vt nonnulli putant, a Platone heic innueretur, nec Americae, nec Africae, nec Scandinauiae, quum inſulae non ſint, applicari poſſet haec Platonis Atlanticae deſcriptio. Neque ipſa Palaeſtina tota aquis eſt circumdata, ſed quoad partem tantum, vt Iſthmi vel Peninſulae nomen iure mereatur. Noſtri vero antea facti moniti bene memores, nimirum, quod Solon aliarum gentium nomina propria Graece verterit, peculiarem reperimus notam, ex qua dignoſcamus, quinam Atlan-

lantae fuerint, ille videlicet populus, qui Ebraice venit Zionis nomine. Etenim ציון denotat aridam & ſabuloſam inſulam. (vide Eſai XXV, 5. Pſalm. LXXIV, 14. Ier. XXIII, 13. XIII, 21. III, 25. Dan. XI, 29. Pſ. LXXII, 9.). i. e. χερσὸν νῆσον, Latine *Cherſoneſum*; nam antiquiſſimorum Graecorum Cherſoneſus haec eſt *Neſos*, a Platone in Atlantica nominata propriaque lingua dicta Zion, vna eſt eademque. Ita Diod. Sic. L. III. 53 in narratione de Amazonis Atlantum filiis: *in ipſa*, ait, *Tritonis lacu magnam condidere vrbem, cui a figura nomen impoſuere Cherſoneſi*, Ebr. ציון & Suece: **En torr ois ſandig o**, qualis ſitus eſſet Montis Zionis & Hieroſolymae prope paludem Galilaicam, cui nomen eſt a גלל voluit, vnde גלגלת Cranium ſ. caput Latine, Graece Τριτὴ, vt Suidas habet: Τριτὴ κεφαλή. Gilbert. Cognatus in not. ad Luciani Carid. T. IV. p. 518 ita: Τρίτω *Boeotorum lingua caput ſignificat*. Mihi igitur Triton idem erit cum fluuio Galilaicó Iordane, & palus Tritonis eadem cum Aſphaltite, ad Gilgal l. vrbem Trite ſita, vt Stephanus de Vrb. teſtatur. Lucem maiorem hac in re feneramur ab hocce Diodori Sic. L. III. c. 55 teſtimonio: *Tritonidem quoque paludem, dehiſcente verſus Oceanum tractu, per terrae motum abolitam eſſe dicunt*. Et quum Amazonum Cherſoneſus & Platonis Neſos non longe ab hac palude diſtarent, nihil aliud, quam Arcem Iſraëlis et Dauidis Zionem hoc nomine a Scriptore intelligi poſſe opinamur. Hanc Plato ita luculenter deſcribit: *in media inſula eſt planities omnium ſpecioſiſſima fertiliſſimaque, quae ſurſum a mari vergit verſus vrbem, in qua paruus*

mons,

mons, qui vallis & foſſis aqueis inacceſſibilis erat. Conſentit Maginus de Iudaea p. m. 235. *vrbs Solyma ſita eſt in edito loco h. e. in montanis, & vndequaque ad eam itur, perpetuo aſcendendum eſt.* Mons vero ille paruus in medio vrbis, mons erat Zion, de quo Dauid Pſ. XLII. 7., qui egregie erat munitus, vt conſtat ex 2 Sam. V, 6 - 8. 10. *Atque in illo Regum fuere Palatia, Templum & ſuper foſſam aqueam pons circa antiquum caſtellum, vt ad Regia aedificia & Dei ipſius Templum tranſitus eſſet. Huius ciſternae & foſſae magnitudo incredibilis dictu, & vix humanis manibus videbatur facta: iugeri vnius erat profunditate & ſtadii latitudine*, vt Plato porro de Zione refert. Quae, quam apprime cum Hieroſolymae deſcriptione coincidant, ex Cluuerii in Geogr. p. 524 verbis haurire licet, dum ita: *Ad templi latus ſeptemtrionale arx erat munitiſſima, quae per pontem ingentem Templo iungebatur. Ad auſtrale vero Templi latus Palatia erant ſumtuoſiſſima, Salomonis ſcilicet, filiae Pharaonis, Tribunal & domus Libani.* Cfr. 1 Reg. XIX, 15 - 19. Nec aliter de immenſa hac foſſa Strabo in Geogr. L. XVI p. m. 523, dum Caſtellum Zionis ita depingit: *erat prope arcem vrbs munita opere lapideo & interius aquis abundans, exterius vero ſicca: foſſa ibi erat lapide exciſo, LX pedes profunditate, CCL latitudine*, Cfr. 2 Reg. XVIII, 17. XX, 20. 2 Chron. XXX, 30. Neh. III, 16. Eſai. VII, 3. XXII, 9. 11. Sed haud minimam illuſtrationem hac in re nobis ſubminiſtrat Plato, dum, *hic*, ait, *a multis retro annis quidam erat nomine Euenor. Is ex Leucippe vxore Clitonem*

vnicam

vnicam filiam genuerat. Parentibus mortuis & matura iam puella, Neptunus, eius deſiderio captus, illi ſe miſcuit, circumſepſitque collem, quem habitabat, ſpiris aquae circumfluis & terrae zonis, i. e. foſſis aqueis & vallibus. Hic Euenor erat Abrahamus: eius enim nomen *parentem* denotat *excelſum*, Germ. Durchleuchtig, pari ratione, ac Euenor. ab εὖ & ἀνήϱ. Ita Heſychius: εὐήνοϱα, ἀγαθὰ, λαμπϱὰ, ὀνήσιμα. Et hicce Abrahamus ad montem Moria Iſacum, filium ſuum, ſacrificaret, Geneſ XXII. poſt eius obitum, eius progenies Iudaei, qui Orientalium more *filia Iuda* appellantur, *cum ipſo Deo fuere deſponſati*, vt habent Oſeas cap. II, 20. Ierem. II, 2. III, 14. Mal. I. 2., & tandem Zionem, celebratiſſimum illud Caſtellum, poſſederunt. Et quum *Iuda*, a ידה celebrauit, *celebrem* ſignificet *gratumque*, (vt et eius mater teſtatur ipſa, dicens: *iam Deo gratias agam; vocabat ergo illum Iudam*, Gen. XXIX, 35) nomen eius Solon ab Ebraea lingua in Graecam transtulit eumque *Clitonem* appellat, a κλείω celebro, vnde κλειτὸς inclitus. Itaque omnia, quae Plato vlterius de ſua Atlantica & Νήσῳ exponit, cum filiis Zionis, Iſraëlitarum terra & Hiſtoria apprime congruere inuenimus. Haec quoque patent

VI. EX HVIVS REGIONIS LIMITIBVS, de quibus ita in Timaeo: *in hac Atlantide maxima & admirabilis extitit potentia Regum; toti inſulae*, h. e. Zioni, *multisque aliis & maximae terrae continentis parti, praeterea & his, quae penes nos ſunt*,

ſunt, i. e. Saitidi Aegyptiae, *dominabantur*, *ſi-quidem iis*, *qui ſunt in Libya vsque ad Aegyptum*, *imperarunt*. Europae vero vsque ad Tyrrhenas olim dominium Salomonis fuiſſe liquet ex 1 Reg. IV, 2. 24. X, 15. Iam vero, quum ſuae Atlanticae limites conſtituat Plato inter Tyrum & Aegyptum, facile reperiri poteſt Palaeſtina. Immo, etſi pro Tyro legeremus Tyrhenas, & ſic late admodum Atlantum extenderemus imperium, inter hos tamen terminos Iſraëlitarum terram citius inuenimus, quam in America & Africana Libya, quam in Africa ſitam fuiſſe merito dubitamus: illa vero Libya, quam Aegyptum inter & Tyrhenas collocat Plato, genuina & vera ſine dubio eſt, & quidem pars Arabiae, cis Aegypti limites verſus Cananaeam ſita; quare etiam a Maximo Tyrio vocetur *Libya Heſperica*, i. e. Arabica, (Cfr. cap. ſequens de Heſperia) a Stephano vero de Vrbibus *Terra filiorum Ammonis* dicitur, dum ita: *Ammonia*, inquit, *regio mediterranea Libyae*, *immo & tota Libya ita vocata eſt ab Ammone*. Qui vero vlterius ſibi perſuadere vult, Ammoniam & Libyam non in Arabia verſus Cananaeam ſitam fuiſſe, euinci poteſt, opinamur, ex Geneſ. XIX, 38. Deut. II, 19. &c.; praecipue vero ex Oſeae XIII. 5, quo in loco Deus ſe Iſraëlem per deſertum ארץ הלאובת *Terrae Lub*, i. e. Libyae, duxiſſe profitetur. Libyae incolas, quos per Aſam, Iudaeorum Regem, proſtrauit Deus, 2 Chr. XVI, 8, circa Gerar Cananaeam inter & Aegyptum habitaſſe, expreſſe adeo 2 Chron. XIV, 14 narratur, vt, ſi quis alio in loco quamdam Libyam fingeret, ſacra dicta ſibi repu-

repugnantia inueniret euidentiſſima. Atlantum igitur vicinos & veros limites ita iam inueſtigauimus, vt neque naturae ordinem neque vocabulorum proprios ſignificatus vllo modo turbauerimus. Immo

VII. *Regionis Iſraeliticae longitudo ac latitudo* plane coincidit cum Platonis Atlantices. In Critia ita: *Atlantices longitudo tota erat in alteram partem ſtadiorum ter mille, per mediam vero a mari ſupra millium duorum: ſitus vero inſulae ad auſtrum vergebat, ab excelſioribus locis boreae oppoſitus. Quadrata erat regio, vt plurima recta in logum vergens*, quae ad oculum omnino monſtrant Adrichomii & Wittii Tabb., hancque terram a latere ſeptemtrionali Monte Libani aliisque obuallatam eſſe, Sacer Codex aſſerit Deut. I, 7. III, 25. Num. XXXIV, 9. Ioſ. XI, 16. Strabo L. XVI. p. m. 510. 520. Magin. Geogr. Ptol. Part. 2. p. m. 223. Quod vero ad ſtadiorum computationem attinet, obſeruandum eſt, Hipparchi Platonisque *aetate*, ſecundum antiquiſſimorum Graecorum calculum, DCCCLXXIV ſtadia vnum gradum conficere, vide Plin. H. N. L. 2. c. 108. & Magin. Com. in C. III. Ptolom. Sic ter mille ſtadiorum ſunt $3^{\circ}.\,50''$, & duo millia ſtadiorum efficiunt $2^{\circ}.\,32''$, quae cum Palaeſtinae longitudine & latitudine optime coincidunt; nam ab Eloth prope Edom, (qui terminus erat verſus meridiem Deut. XI, 24. Num. XXXIV, 3. & a Ptolomaeo L. V. 17. collocatur ſub $29^{\circ}.\,0''$. latitudinis), ad montem vsque Libanon, (limitem

nimi-

nimirum Septemtrionalem. Num. XXXIV, 8. Deut. XI, 24. Ioſ. I, 4. XXXIII, 20. iuxta Hamath, oppoſita Tyro, ſub 33°. 20″. latitud. cfr. Ptol. L. V. 4.) gradus ſunt 3. 20″. Si his addamus 30″, quae inter Hamath radicemque Libanonis ſunt ad vicum Enan Num. XXXIV, 9, regni Iſraëlitici longitudo 3°. 50″ vel ter mille ſtadiorum complectitur. Latitudo Palaeſtinae eadem etiam eſt ac Atlantices: nam a portu Gaza, ad mare magnum verſus occidentem ſitus, qui Cananaeae erat terminus ab occidentali parte Num. XXXIV, 6., ſub gradu long. 65. 45″. cfr. Ptolem. L. V. 16. Tab. IV, ad mare vsque Tiberias ſ. lacum Cinnereth, qui limes Iſraëliticae terrae orientalis erat Num. XXXIV, 11, ſub 67°. 15″ longit. cfr. l. cit. Ptolom., gradus 2. 30″ fuere, qui exceptis 2″, coincidunt cum Platonis 2000 ſtadia. Hae multaeque aliae res circumſtantes probant, Solonem per Atlanticam ſuam Regnum Iſraëliticum intellexiſſe.

VIII. Pondus ſententiae noſtrae etiam addunt *Decem* illae *Tribus*, *Iſraëliticae*. Iuda ab Iſraële diuiſo, reliquae ſuperſunt X Tribus, quae a X filiis Iacobi nomina deſumſere, quod et Plato pari fide commemorat. *Quinque*, inquit, *filiorum maſculorum partus geminos progenuit & enutriuit, atque omnem Atlanticam in tribus X partitus, primogenito maternam habitationem &, qui circum erat*

erat, campum dedit, maximam ſane ſortem & potentiſſimam, regemque illum ſtatuit ceterorum, ceteros vero multarum gentium principes ac regionum. Digito heic quaſi monſtrat Iudam Hieroſolymamque & quae leguntur Gen. XLIX, 8. &c. Tribus, quae ad Regnum Iſraëliticum potiſſimum referuntur, decem eſſe, ex Moſis ceterorumque virorum θεοπνεύϛων ſcriptis aperte conſtat. Hinc ita Plinius L. V. 14. *Reliqua Iudaea in X Toparchias diuiditur,* & Diod. Sic. L. III. 61. *Atlas fertur genuiſſe X filios*: clarius adhuc Iuſtinus Lib. XXXVI. 11. *Iſraëlem X filiorum prouentus maioribus ſuis clariorem reddit, itaque populum in X regna diuiſit & filiis tradidit.* Obſeruandum autem hoc loco tantum eſt, Solonem decadi filiorum *inſeruiſſe* Atlantem, eumque Neptuni fuiſſe primogenitum ita referens tradit: *Primus filius dictus* ATLAS, *qui totam inſulam ſeu Atlanticam gubernabat;* ſiquidem Iſraël Dei appellatur primogenitus filius, Ex. IV, 22. 23. Syr. XXXVI, 14. rectius autem Diod. dicit loco cit., *Atlantem parentem eſſe X Tribuum.* Pergit Plato: *eum vero, qui hunc ſecutus eſt eodem partu, patria voce* GADIRVM *vocauit, quem Graece dicimus* Eumelum, *qui extremas inſulae partes ad Columnas Herculis eſt ſortitus, ſuoque nomine locum Gadiram nuncupauit.* Iſraëli filium fuiſſe, *Gad* dictum, eumdemque regionem occupaſſe inter X Iſraëlis tribus verſus Arabiam in regno Ogi & Sihonis Amoraeorum, perſpicue indicant Gen. XXX, 11. & Num. XXXII, 1. 33. Quum nomen Amoraeorum אמור ſignificet ϛήλαις ſ. ſtatuas (Sueth. Stabbor) & nubeae

 igneae-

igneaeque columnae, genuinae illae ϛηλαὶ Ἡρακλῆος i. e. Columnae gloriae nubis, ab ἦρα nubes aetherea & κλέος gloria, Kadiſi longum per tempus oculis Iſraëlitarum obſeruarentur; recte Plato infert, Gadem terram occupaſſe in Amorrhaea, Kadiſo & Arabiae proximam *). Haec regio idem nomen apud Graecos obtinuit, & appellata eſt Gadira, ſiue à Gad, ſiue a Kades. Ptolomaeo in L. V. c. 19 *Gadirtha* & Stephano *Gadara* audit, in confiniis Palaeſtinae Arabiaeque, vbi quoque ſita Gadera & Gadeira Ioſ. XV, 36. & Gader. Ioſ. XII, 13, item Gaderath Ioſ. XV, 36. 2 Chron. XXVIII, 18; adeo vt absque moleſtia Gadira, aſſidue fruſtraque alibi quaeſita, in noſtra Atlantica inueniri queat. Gad *felicem* notat, teſte Rauanello in Biblioth. ſacra in voce Gad; *diues enim ouium fuit pecorumque.* Num. XXXII, 1. Deut. III, 12. hinc Solon nomen eius voce Graeca Ἔυμηλος, ab ἐῦ bene & μῆλον ouis, recte omnino transponit. Reliquorum

*) De columnis Atlantis refert Homer. in Odyſſ. η. v. 53, *eas terram coelumque attingere.* Vocantur κίονες, i. e., vt Homeri Scholiaſtes explicat, ϛύλαι columnae. Narrat quoque Herodotus in Clione, *Mare Atlanticum idem eſſe ac* ἐρυθρὴ *rubrum:* in Melpomene item, *Atlantem vocari* κίονα τοῦ οὐρανοῦ, *columnam coeli, quae nusquam absque nube eſt.* Verum igitur de hac re fert indicium Zetzes in Hiſt. I. chiliad. 5. *Atlas Aegyptius multo ante quam Lybicus aetatem degit: quae vero Aegyptii de Hercule Aegyptiaco & Atlante narrarunt, poſteriori Atlanti & Herculi, Alcmenae filio, in fabulis ſuis applicarunt Graeci.*

rum omnium Atlantis filiorum appellationes in Graecam linguam vertit idem Solon, vt conſtat ex tertio filio AMPHERES, ab ἀμφέρω *ſurſum tollo, creſco in altum.* Αμφήρης hicce *Ioſephus* fuit, a יסף *addidit, ſuccreſcere fecit.* De hoc Iacobus ita praeſagit Gen. XLIX, 22. *ramus fructificans Ioſeph, immo ramus fructificans iuxta fontem.* Quartus filius EVDAEMON (εὐδαίμων beatus) fuit *Aſſer*, Ebr. אשר *beatus*, de quo haec Geneſ. XXX, 13. *venit beatitudo mea: nam poſthac filiae beatam me praedicabunt, & proinde nomen eius vocauit Aſcher.* Quintum Plato vocauit AZAËN ab ἅζειν *colere, venerari*, qui Iuda eſt, a ירה in Hiph. *coluit, celebrauit: illum enim fratres laudarent.* Gen. XLIX, 8. de quo etiam Lea Gen. XXIX, 35. *laudabo Deum; et vocabat eum Iudam.* Sextus filius MNESTOR, Gr. μνήςωρ, *prudens, peritus*, idem eſt atque *Dan*, a דין *cauſam prudenter cognoſcere*; itaque Iacob de illo dixit: *Dan erit iudex, ſerpens erit* propter prudentiam Gen. XLIX, 17.

Septimus AVTOCHTON, Αυτόχθων, *iuxta habitans in eadem terra*, recte interpretatus eſt a *Sabulon*; nam זבל eſt *iuxta habitauit, cohabitauit*; haec ergo mater Lea Gen. XXX, 20. *cohabitabit mecum maritus meus, appellauitque nomen eius Sebulon.* Octauus per ELASIPPVM, ab ἔλασις *militaris expeditio* & ἵππος *equus militaris*, vnde ἐλασίππος, recte exponitur, fuitque *Naphthali*, a נפתל *in militari expeditione agilis ſum & vinco.* Nomen huius filii ita explicat mater Rachel: *Luctatione vehementi luctata ſum cum ſorore mea, etiam praeualui:*

ualui: & vocauit nomen eius Nephthali Geneſeos XXX, 8. Nonus MNESEVS dictus, a *μνῆσις memoria reſonans*, *fama audita*, Ebraice eſt *Simeon*, a שמע *reſonuit*, *audiuit famam*, quia de illo fata eſt mater Gen. XXX, 33. *quoniam audiuit Deus, quod exoſa ſim, dedit mihi etiam hunc; vocauitque nomen eius Simeon.* Decimus DIAPREPES Διαπρεπὴς audit, a διὰ & πρέπω *decorus & excellens ſum* ortum, & denotat *Rubenem*, a רבה *conſpicuus*, *magnus & robuſtus fuit.* Haec parens de hoc filio verba fudit Gen. XLIX, 3. *Ruben, primogenitus meus es, fortitudo mea & principium roboris mei, excellentia dignitatis & excellentia fortitudinis, ſummus in regno, ſummus in ſacrificio.*

Hac facta oſtenſaque comparatione, ſatis conſtat, Solonem nomina decem filiorum Iſraëlis ab Ebraica in Graecam linguam optime & accurate transtuliſſe, vide ſupra §. I., inde, tamquam ex X haud dubiis argumentis, recte conficitur, Atlantem cum Iſraële, Atlanticam cum X Tribuum terra & nomine & re omnino conſpirare. Veritas haec manifeſta eſt, donec quispiam, in alia quadam gente ac regione, euidentioribus argumentis decem Atlantis filios poſſit oſtendere.

IX Argumentum petimus ex *magnifico Atlantum templo.* Locum, quo in monte Moria exſtructum fuit verſus Caſtellum Zionis, antea attigimus §. IV. Quale vero hoc fanum fuerit, Plato p. m. 116 ita depingit: *regia intra arcem ita conſtructa erat. In media ſacrum & inacceſſibile Neptuni & Clitonis templum aureo ambitu circumdatum.*

tum. Ipſum vero templum *Neptuni*, vt homo gentilis, non ſine cauſſa vocat. Erat ille Deus maris Cuſtos atque Praefectus, cuius opera Atlantas ſiccis pedibus per Mare rubrum transiiſſe, narrat Aegyptius Sacerdos. Idem templum etiam *Clitonis* h. e. *Iudaeorum* vocatur, vt vocabula κλείω & חרי indigitant, Cfr. §. IV. Hoc vero ſanctiſſimum Templum totum auro obductum erat, vt ex 1 Reg. VI, 19. 22. 2 Chron. III & IV cap. ſatis notum eſt. Conſentit quoque Lucianus de Dea Syriae T. I. *Intus auro multo reſplendebat Templum in vrbe Gera & tectum totum aureum eſt. At non ſimplex eſt haec aedes intus, ſed & penetrale quoddam alterum intra ſe ſine ianuis factum habet. In magnam aedem omnibus ingredi licet: impenetrabile autem ſacellum ſolis ſacerdotibus, neque vero iis omnibus, ſed illis, qui maxime Diuini ſunt.* De Atlantum templo inacceſſibili eadem refert Plato, quae de ſancto ſanctorum habentur Leu. XVI, 2. 17. Ebr. IX, 6. 7. Atlantum Salomonisque Templi longitudinem ac latitudinem accurate collineaſſe, colligimus ex his Platonis verbis: *erat autem templum ſtadium vnum longitudine, iugera tria latum, altum vero quantum longitudo latitudoque eius exigebat. Exteriora faſtigia ſuprema argento omnia exornauerant, intus laquearia tota eburnea, auro, argento, orichalco varie caelata conſpiciebantur. Verum parietes, columnas, pauimenta orichalco exornauerunt; ſtatuas ex auro etiam erexerunt.* Magnifica ac ſplendida haec ſunt omnia: a vero tamen templo Hieroſolymitano non abludunt; de cuius aureis argenteis-

que vaſis, palmis, artificioſis operibus, ſtatuis, columnis aureis aereisque legi poteſt 1 Reg. VI. item 2 Chron. VII. 2 Reg. XVIII, 16 &c. quae omnia heic breuiter nominare tantum licet, quum res haec notiſſima ipſa loquatur. Quod vero ad vtriusque templi longitudinem latitudinemque attinet, obſeruandum eſt, Platonem Stadium heic intellexiſſe Olympiacum, quod, teſte Cenſorino cap. XIII, ſexcentos pedes Romanos ſiue centum cubitos Aegyptiacos complectebatur, vt antea Kircherus ſolidis probauit argumentis. Et cum Myſta Saiticus Soloni narrabat, ſe ad Aegyptiorum morem vlnas numeraſſe, quae illa aetate eaedem forte ac Ebraeorum erant, cumque Templi longitudinem definiret, vnum ſtadium loco centum cubitorum, quae Templi Hieroſolymitani longitudo erat, poſuit, ſiue haec numerandi ratio cum Ebraeorum conueniebat, ſiue ſecus. *Fanum ipſum* Salomonis LX paſſus ſeu cubitos continebat, *domus exterior* XX, & *ſubſtructionum ambitus* XVIII. Cfr. 1 Reg. VI, 2. 3. 5. 6, qui, in ſummam collecti, efficiunt XCVIII; ſiue rotundius C. cubitos Aegyptiacos ſeu Hebraeos, quos, dum lingua ſua exprimeret, ſtadii nomine nuncupauit Solon. Eiusdem Templi latitudinem ratione ac more, ſua in patria conſueto, deſcribit, eamque III eſſe iugera ſ. plethra ſtatuit, quorum vnum quodque CXX pedes Rom. & XX cubitos Aegyptiacos complectitur, quae tria plethra LX efficiunt cubitos Aegyptiacos, apprime, IV cubitis exceptis, reſpondentes Templi Salomaei latitudini, quae vna cum *ſubſtructionum* ab vtraque parte *ambitu* LVI

cubi-

cubitos Ebraeos ſ. Aegyptiacos continebat: vide 1 Reg. VI, 2. 5. 6. Dum Graecus noſter conterraneis ſuis vlnarum numerum voluit exponere, fieri non potuit, quin rotunde omnia eam ob diſcrepantiam, quae inter harum nationum nomina fuit menſuraſque, exprimeret: dilucide tamen indigitat, Atlantum Templum & Salomonis, in Monte Moria ſitum, idem fuiſſe, in quo *Arca* & *Cherubim, ſupra illam alas ſuas expandentes*, collocati erant, & in quo *Dei Maieſtas* quam ſaepiſſime ſeſe reddidit conſpicuam: legatur hac de re 1 Reg. VIII, 6. 7. 10. 11. 12. Leu. XVI, 2. Pſ. XVIII, 11. LXXX, 2. In reliquis per totum terrarum orbem fanis tales Dei patefactiones, quae Iſraëlitis contigerant, extitiſſe, documentis fide dignis fortaſſis demonſtrabit nemo: ſola Hieroſolyma hae ſeſe offerunt, de quibus ita loquitur Plato: *in adyto ſacro ac inacceſſibili Deus ſe videndum praebuit, curru inſiſtentem tenentemque equorum alatorum habenas, laquearia alta ceruice tangentium.* Haec omnino eadem ſunt, ac quae leguntur Ex. XXV, 18. 19. XXXVI, 35. XXXVII, 7. 1 Reg. VI, 23. Zeph. III, 8. 9. Pſ. XCIX, 1. Eſ. VI, 2. &c. Argumenta igitur nos protuliſſe, opinamur, quae a fabulis quam maxime abhorrent & euentibus, qui longo poſt Platonis fata, ne dicam Atlantum captiuitatem, interuallo contigerant; ſed, quas attulimus, opinionis noſtrae probationes e puris ſacriſque oraculis hauſimus atque depromſimus.

X. Argum. AB ATLANTVM DEVM COLENDI RATIONE ET MORIBVS, quos eosdem eſſe

 ac

ac Iſraëlitarum ex relatione Platonis p. cit. patebit: *Ad Clitonis*, (Iudaeorum) ait, *Templum quotannis ex decem regionibus congregati, quilibet eorum ſacra ſolemnia peragebant.* Tales annuos conuentus in America, Africa & Iotunheimia 400 annos ante Solonem vſitatos fuiſſe, fieri nullo modo poteſt, vt oſtendamus. Hieroſolymae vero congregatas fuiſſe ſingulis annis tribus, teſtatur Pſ. CXXII, 3. 4. Leu. XXIII, 2. Deut XVI. Ac proinde Zion Eſai. XXXIII, 20 vocatur *vrbs conuentuum*, aſſentiente Luciano de Dea Syr. p. m. 730. *fiunt in vrbe Gera conuentus ſolemnes maximi; feſtorum autem omnium maximum incipiente vere peragunt;* nimirum dum agnus paſchalis ſacrificaretur, vt lege erat iuſſum, quae lex, Iſraëlitarum officia, quae & Deo & Imperio Ciuili deberent, continens, in templo ſeruabatur. Hinc Plato: *Imperium profecto & communio inter illos ſecundum Dei mandata dirigebantur, quemadmodum leges illis & literae nuntiabant a maioribus in columna quadam orichalcea circa medium inſulae in templo Neptuni inſcriptae.* Haec a Deo praeſcripta lex illa fuit, quam tabulis lapideis in monte Sinai Deus inſcripſit, Ex XXIV, 32. XXXII, 15. 16. XXXIV, 4. 29, & lex Moſis, quae in templo cuſtodiebatur, Ex. XL, 20. Ebr. IX, 4. 1 Reg. VIII, 9. 2 Chron. V, 10. 2 Reg. XXII, 8, quae omnia de cultu diuino & regimine publico inſtituta exhibebat, item & imprecationem terribilem & horrendam ſuper legis praeuaricatores, quam & Plato memorat l c. *exſtabant in columna Neptuni praeter leges iuſiurandum & exſecratio terribilis illis, qui non parent*, quae Deut.

XXVII,

XXVII, 11. &c. Ioſ. VIII, 32, &c. leguntur. Quod pari ratione Atlantum ſacrificia eſſent inſtituta ac Iſraëlitarum, ita narrat Plato: *quando, ſacrificiis ita de more paratis, (adducto ſcilicet tauro ad columnam, cui lex inſcripta, eoque iugulato) iam cremarentur tauri membra, impleto cratere, guttam ſanguinis pro vno quoque infundebant. Reliqua igni dabant, luſtrantes columnam. His denique factis, phialis aureis haurientes ex cratere & ſuper ignem libantes iureiurando interpoſito, promittebant, iudicaturos ſe ſecundum inſcriptas columnae leges punituroſque eos, qui deliquiſſent. Praeterea, literarum illarum normam ſponte ſe numquam transgreſſuros.* Haec adeo accurate cum Diuinis legibus ac inſtitutis coincidunt, vt nihil ſupra; de Iſraëlitarum ſacrificandi ritibus vide Leu. I, 3-9. VIII, 14. ſqq. pactum cum Deo de lege tenenda exſtat Exod. XXIV, 4-8, quod iurisiurandi ſeueriſſima formula confirmarunt. Ioſ. VIII, 33. Deut. XXVII, Neh. X, 23. Ioſ. XXIV, 16-28. 2 Reg. XXIII, 3. Obſeruarent haec inſtituta tum Reges, tum etiam populus vniuerſus. Neque Platoni ignotum erat Altare illud aeneum, quod prae templo Hieroſolymitano exſtruxit Salomo. 1 Reg. VIII, 64, dum Clitonis deſcribens templum ita fatur: *aderat etiam altare magnitudine & artificio quoad reliquum apparatum decentibus;* cuius apparatus & magnitudo reperitur, 2 Chron. IV, 1. *fecit praeterea Altare aeneum viginti cubitorum longitudine & viginti cubitorum latitudine, decem autem cubitorum altitudine.* Legimus item apud Platonem, quod X tribus, ad

templum Clitonis congregatae, ſacrificia fecerint anniuerſaria, pactumque cum Deo de ſeruanda lege renouarint, & *ad coenam poſtea conuerterint, aduentante nocte.* Coenam paſchalem heic innui a Platone teſtantur & tempus, quo celebrabantur hae feriae, & huius epuli ſolemnes ritus. Itaque Atlanticam Iſraëlitarumque terram eſſe eandem, & illi, quos attulimus, characteres, & ceteri, a lege diuina, tabulis mandata lapideis & in templo condita, petiti affatim & certiſſime indicant.

XI. A REGVM MORIBVS, MAGNIFICENTIA ET DIVITIIS. Vſu apud Atlantas fuiſſe receptum refert Plato, quod *Rex decedens regnum primogenito filio ſemper relinqueret*, qui mos apud Iſraëlitas locum etiam obtinuit, Geneſ. XLIX, 3. XXV, 31. Deut. XXI, 15. 16. 17. 2 Par. XXI, 1. 3. *Et Ioram Rex factus eſt: ſed plures habuit fratres: illis autem pater eorum munera, regnum vero dedit Ioramo, quia erat primogenitus.* Porro Plato: *tanta erat illis diuitiarum copia, quanta nulla fuerat Regum ſuperiorum antea, nec vllus vmquam poſterorum cum his facile comparabitur.* Quanam opulentia polluerint Reges in deſertis Africanis, in America & frigido noſtro ſeptemtrione ante 1000 a. n. Chriſtum annos, ne Oedipus quidem dixerit. Platonis vero effata diuinis teſtimoniis ad amuſsin firmantur. *Et dabo tibi*, (Salomoni) ait Deus 1 Reg. III, 13, *diuitias & potentiam, vt tui ſimilis erit nullus inter Reges;* & cap. X, 23. *& factus eſt Salomo opulentior omnibus regibus terrae.* Cfr. V, 27, 2 Chron. I, 1. IX, 20. &c. Permulti reges, a flu-

a fluuio Phrat vſque ad Philiſteam & Aegypti terminos tributa & munera illi perſoluebant. 2 Chron. IX, 26; idem narrat quoque Plato: *in Atlantica reges fuere praepotentes, qui & in totam inſulam & in terras circumiacentes dominabantur*, vt *eorum imperium Aegypti terminos attingeret*, hocque 9000 annis Aegyptiacis ante Solonem, i. e. 700 ann. ſolar. Si quis illo tempore alios quosdam, quam Iſraëlitas, terrarum Aegyptum inter & Tyrum ſ. Tyrrhenas dominatores conſtituerit, is ſane Hiſtoriis ſacris refragatur omnibus. Haud facile igitur quis infitias ire poteſt, Iſraëlitas Aegyptiorum fuiſſe vicinos verſus Tyrum tam longo temporis interuallo, vt nulla ſeptemtrionalis natio his ſeſe ſuasque migrationes a Ioſuae tempore ad natiuitatem vsque Chriſti queat inſerere. Hinc Plato: *decem tribus multa per ſecula poſterique earum ibi in Atlantica habitarunt; & genus Atlantis vniuerſum ſemper inter omnes honoratiſſimum celeberrimumque fuit.* Et de Iſraële Deus: dabo te excelſum ſuper omnes gentes terrae. Deut. XXVIII, 1. 10. Cfr. c. XXVI, 19. IV, 6-8. 32-34. XI, 25. Ioſ. IX, 1-24. &c., vnde haud difficile concludi poſſit, *omnia eorum in vrbe & regno optime diſpoſita fuiſſe atque ordinata*, vt Plato de Atlantica fatetur & ſacer Codex de Iudaeis & Iſraëlitis teſtatur. Cetera, quae a Platone adduntur, nimirum *circa mediam inſulam fuiſſe Hippodromum, cuius latitudo ſtadium longitudo per omnem circulum porrigebatur ad equeſtre certamen. Circa Hippodromum vtrinque erant militum cuſtodumque diſpoſitae domus &c.* in Salomonis Hiſtoria leguntur ſingula.

Nam

Nam fuerunt illi currus mille & quadringenti, & duodecim millia equitum, quos poſuit in vrbibus curruum 2 Chron. I, 14. Cfr. 2 Chron. IX, 25. 1 Reg. IV, 26. X, 26. IX, 19. 22. Num. I, 31. XXXIII, 31. Deut. I. XX. XXIX. *Atlantibus praeterea naualia fuere, triremibus omnibusque ad rem nauticam pertinentibus inſtrumentis referta ſingulaque ſufficienter expoſita. Transeunti tres erant portus celebres*, referente Solone, quos etiam Iſraëlitarum Annales commemorant. Horum Primus erat *Eloth* ad mare rubrum, 1 Reg. IX, 26, ab expeditionibus nauticis in Ophir notus & peruulgatus. Secundus erat *Ioppe*, Hieroſolymis vicinus, 2 Chron. II, 16, in quem omnia, quae ad Salomonis ſplendida aedificia exſtruenda neceſſaria erant, inuehebantur. Hic citatur Ioſ. XIX, 46. Ion. I: 3. 1 Maccab. X, 75. 2 Maccab. XII. 3. Actor. IX, 38, & a Strabone nominatur Lib. XVI, p. 527 vna cum tertio Iſraëlitarum portu *Gaza: poſtea Ioppe*, ait, *ibi quidam Andromedam ceto expoſitum fabulati ſunt. Locus ſatis editus eſt, ita vt inde Hieroſolymam Iudaeorum metropolin conſpicere poſſint. Quin & Iudaei hoc portu vtuntur vsque ad mare digreſſi. Poſtea vero eſt Gazaeorum portus.* Sub Andromedae nomine heic tangit Ionam, quem Graece Andromeda vocat ab ἀνὴρ & μεδέω impero, & vi vocis idem valet ac Iſraël, adeo vt Andromeda ſit *Iſraëlita*, qui in Ioppe nauem conſcendit. Ion. I. Vnus hic in Mari occidentali fuit Iudaeorum portus; alter vero, cuius nuper mentionem fecimus, Gaza erat, quem Graecorum portum appellat Ptolomaeus

L. V.

L. V. c. 16. Et haec rerum facies fuit apud Iſraëlitas & Atlantas tempore Salomonis regumque. *Magiſtratus autem honoresque ſic erant in principio inſtituti: vnusquisque X regum in ſua prouincia ſuaque in ciuitate in homines tum etiam leges pleraſque dominabatur, puniebatque pro arbitrio vnumquemque ac morte damnabat.* Haec Plato. Iudices ac Principes, in quauis tribu electos, ita, vt refert Plato, pro lubitu in Iſraëlitas geſſiſſe imperium, notum eſt adeo omnibus, vt, loca Sacrae Scripturae, hanc rem ſpectantia, vt exſcribamus, haud ducamus eſſe opus. Et Iſraëlitarum Atlantumque Regiminis formam ceteraque, ad eam pertinentia, momenta eadem eſſe in vniuerſum omnia, ſine friuolarum coniecturarum ope colligi poſſe, haud immerito ſperamus.

XII. A SOLI FERTILITATE *omniumque rerum copia ac abundantia.* Dicimus quidem: *non omnis fert omnia tellus;* Cananaea vero & Atlantica ſinu ſuo omnium, quae ad vitae vſum commodumque ſpectant, rerum larga copia affluebat atque vbertate. Ita de Atlantica Plato: *permulta ipſa inſula ad omnem vitae vſum pertinentia producebat - - - Orichalcum, quod nunc tantum nominatur, effodiebatur multis ex inſulae locis, quod tunc temporis apud eos, excepto auro, erat pretioſiſſimum. Et quaecumque ſilua materiam abunde proferebat Architectis - - neque deerant prata, quibus animalia omnia, tam fera, quam domeſtica, large nutriebantur. Elephantum praeterea ingens copia. Montes eius frequentia, altitudine & pulcritudine omnes, qui nunc exſtant, exſuperabant.*

Ne-

Neque deerant iis vnguenta. Geminos ex terra fructus annis ſingulis colligebant. Hieme quidem Iouis beneficio pluuiis tellus madebat: aeſtate riuis & aquaeductibus irrigabatur. Si haec omnia praeſtantiſſimae vbertatis ſigna in noſtro ſolo exſtarent, feliciſſimi ſane eſſemus. Ipſa autem natura abunde indicat, nec nos Platonis Atlanticae eſſe incolas, nec eiusdem terrae deliciarum eſſe poſſeſſores. Cananaeam lacte melleque fluxiſſe teſtatur Geneſ. XIII, 10. XLIX, 15. 25. Exod. III, 8. 17. XIII, 5. Nah. IX, 35. Deut. VIII, 7- : 1. XI, 11. 12, vnde & communiter propter praeſtantiam appellabatur *terra bona* Deut. VIII, 7. Cfr. Ier. III, 19. Ez. XX, 6. Sap. XII, 7. in qua, vt in Atlantica, erant I. *fructus optimi & metalla*: Ita ipſe Deus Deut. VIII, 8. 9. *Terra tritici & hordei & vitis & ficus & malogranati, terra oliuae & mellis. Terra, in qua non cum defectu comedes panem; nec deerit tibi quidquam in ea; terra, cuius lapides ferrum, & ex montibus eius excides aes.* Hoc aes, Ebraice נחשת מכרט 1 Reg. VII, 45. 46, ex quo pretioſiora vtenſilia Templi confecit Salomo, Orichalcum Graece vocatur, nunc temporis non amplius reperitur, teſte Platone l. c., & a Pancirollo inter res numeratur deperditas. Tempore Salomonis tantum huic erat pretium, vt, auro excepto; pretioſiſſimum duceretur: alia certe erat indole ac Suecanum aes. II. In Cananaea *ſilua erat eximia*, in qua 80000 hominum cedros caedebant, vt de monte Libani refert Hiſtoria ſacra 2 Chron. II, 2. 17. Inter cetera, quae alebat haec regio, animalia III. *Elephantes* erant, אֲלָפִים *Elaphim*

phim Ebraice a ſing. אלף, boues & armenta, quorum omnium feraciſſima erat Cananaea. Cfr. Geneſ. XLVI, 34. Num. XXXII, 1. XXXI, 33. Ceteras orbis partes vincit Palaeſtina IV. *Montibus pulcritudine notiſſimis.* Illos appellat Moſes *Montes bonos* Deut. IV, XI, 11, quos videndi maximo tangebatur deſiderio. Frondibus, fertilitate, altitudine, pulcritudine per omnem terrarum orbem famoſi erant montes Zion, Moria, Libanon, Pisga, Tabor, Amanus, Carmel, Gilboa, Hor, Hermon, Sapher, Seir, Ephron, Gaal, Rephaim, Abarim, Nebo, Horeb, Sinai, ceteri. Laetis ac vberrimis fructibus vrbibusque erant frequentiſſimi, tantique illos faciebat ipſe Deus, vt de montibus Iſraëlis quoque vaticinaretur Ezech. XXXVI, 1. VI, 3. Monſtrant itidem V. *Varia Aromata* Cananaeam genuinam eſſe Atlanticam. Vide 1 Reg. X, 10. Eſ. LX, 6. 8. Ex. XXX, 31. ac proinde montem Libanon ex לבנה *thure* nomen habere ſuſpicantur eruditi. Cant. IV, 6-15. De Palaeſtina ex Strabone L. XVI. haec colligimus: *lacum habet, nomine Geneſareth, qui Aromaticum iuncum & calamum fert.* Et Diod. Sic. Lib. III. 48. *Ibi in conualle quadam Balſamum gignitur, vnde luculentum illis vectigal, quod numquam alibi inuenitur in orbe terrarum.* Cfr. c. 49. it. Lib. III. 46. VI. ſeſe prodit Atlantica per *Binam Meſſem quotannis*, quae probatur ex Leu. XXVI, 4. 5., & adhuc multo dilucidius explicatur verbis Diod. Lib. II. 54. *Pars ſupra Arabiam iacet, quae riuis & aquis pluuialibus per aeſtatem rigatur, vt duplices fructus metant.* Sed inſtar

omnium

omnium Maginus: *Clementiſſimo*, inquiens, *gaudet aëre Palaeſtina & corpora hominum ſalubria parit. Nec nimio frigore riget, nec calore torretur. Aquis abundat; rari autem in ea imbres. Fruges feraciſſime mittit, fiuntque tres in anno vindemiae* *), quas in Borealibus regionibus eſſe conſuetas, minime credi poteſt. VII. indicium petimus *a pluuiis*, *quae* hieme cadebant, & *aquaeductibus*, *riuis & fontibus*, qui aeſtate Atlanticam irrigabant. Septemtrionale frigus ſatis teſtatur, Suecanam tellurem alta niue eſſe cumulatam. De Cananaea inter alia haec habet Moſe: *terra fluuiorum aquae*, *fontium & abyſſorum*, *exeuntium e valle & e monte.* Deut. VIII, 7. XI, 11. 12. E fontibus quibusdam *calidae* ebulliebant *aquae*; ſingularis hic fuit Atlanticae character. Dum Plato narrat *in inſula hac eſſe fontes*, *tam calidis quam frigidis aquis exuberantes*, *quibus inerat ad vtrumque vſum mirifica cum iucunditate ſalubritas*, tum Laſae thermas indicat, de quibus Hieronymus, Plinius L. V, 16. 15. Ioſeph. Bell. Iud. L. I, 21. Antiq. L. XVII, 8. Solin. c. 48. Magin. de Palaeſt. p. 234. Cfr. infra C. V. §. 2. Harum quoque *thermarum* mentio fit Ioſ. XIII, 6. **) Ex hoc confici-

*) Cfr. Ioh. Iac. Schmidts bibliſcher Geographus c. 9. apud quem vberior deſcriptio ſiſtitur terrae Cananaeae fertilitatis.

**) Item Ioſ. XIX, 35. & XXI, 32 memoratur vrbs Chamath, in tribu Naphthali ſita, & a calidis aquis ita nuncupata. Rabba Chamath eamdem eſſe ac thermas Gadarae exiſtimat. Vide Hilleri Onomaſt. Sacr. pag. 780. Ligtfot. centur. chorogr. f. 224. 225.

ficitur, illam regionem, in qua ne aquae calidae ſcaturigo inuenitur & guttula, Atlanticam certe non fuiſſe. Verum enim vero cum hoc ſignum, tum etiam omnia a Platone relata, ad minima vsque in regno Iſraëlitico inueniuntur ſingula, vnde prae ceteris terris pro vera Atlantica iure haberi debeat. Vt cetera, quae de huius terrae felicitate congeſſit Plato, haec etiam egregie cum noſtra Atlantica conſpirant: *Et haec omnia inſula, quae quondam ſpecioſa, miranda, ſacra, & vberrima fuit, proferebat.* Lucianus nobiscum conſentit in T. I. de Dea Syr. p. m. 692, cum de Terra agit Cananaea: *nullum*, inquit, *templum in Syria videtur mihi maius eo, quod eſt in ſacra vrbe, neque alia aedes ſanctior aut terra magis ſacra vspiam eſt.* Conf. Sach. II, 12.

XIII. AB INTERITV QVINQVE VRBIVM ET MARI MORTVO. Indicium Atlantum Iſraëliticorum haec ſuppeditant adeo ſingulare, vt omnes, qui Atlanticam alii cuidam regioni inſcribere conantur, circa hoc momentum quo ſe vertant, plane neſciant, &, vt variis nugis ridiculisque figmentis ſeſe expediant, fruſtra dent operam. Noſtrae Atlanticae magnam partem per terrae motum in mare coenoſum & innauigabile permutatam fuiſſe, teſtes habemus Diuinas Literas. Iamiam in argum. III. a Platonis Critia hunc caſum annotauimus, ſimulque animaduertimus, non totum Iſthmum, ſed partem tantum planitiei circa Sodomam hoc perpeſſum fuiſſe damnum. In Timaeo p. 25. de hac re lucide Plato: *poſt haec ingenti terrae motu iugique diei noctisque vnius illuuione*

 factum,

factum, vt terra dehiſcens veſtros illos (Athenienſium maiores, vel potius, maiorum cognatos, de quibus in arg. IV.) *vna omnes bellicoſos homines abſorberet, & Atlantis inſula vaſto ſub gurgite mergeretur. Quam ob cauſam innauigabile pelagus illud propter abſorptae inſulae limum relictum fuit.* Vt obſeruemus, dignum videtur, I. *hoc ſupplicium vnum diem noctemque perduraſſe*: vide Gen. XIX. II. *totam terram per terrae motum ſidiſſe*, qui caſus V vrbibus accidit Geneſ. XIV, 1. III. *Vbi antea tellus erat, poſtmodum factum eſſe mare limoſum & bituminoſum*, vt de Asphaltite notum eſt. Cfr. §. III. Cluueri Geogr. L. V. c. 20. *Asphaltites nihil praeter bitumen gignit. Idem propter magnitudinem & immobilitatem mortuum mare vocatur: namque neque ventis impellitur, neque nauigationis patiens eſt.* Idem ita refert Solin. c. 48. *Longo ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur, quem de coelo tactum teſtatur humus nigra & in cinerem reſoluta: duo ibi oppida Sodom & Gomorrha.* Pariter quoque Iuſtinus Lib. XXXVI. c. 3. Vltimo & IV. notandum eſt, *non totam Atlanticam, ſed illam tantum regionem, quae Sodomam & Gomorrham circumiacet, periiſſe.* Plato enim in Critia expreſſe: *Athenienſes*, ait, *maiores ſuos ex illa bellipotente natione habuere, quae, hac parte aquis ſubmerſa, ſuperſtes erat.* Addit quoque poſtmodum: Argumentum *ingens fertilitatis* loca praebent circumiacentia, & *quod in ea* (Atlantica) *reliquum eſt, cum quauis alia terra hoc ipſo certare poteſt, quod & ferat omnia & fructus proferat optimos.*

XIV Ar-

XIV Argum. A CAVSSA EXCIDII ATLANTVM, quae cum Iſraëlitarum contumacia collata, qua Dei in ſe iram ante captiuitatem Babylonicam irritarunt, mire conuenit. Plato ita in Critia p. 120 ſqq. *Talem tantamque potentiam, quae in illis tunc erat locis, Deus certo quodam ordine ad haec loca rurſus deduxit tali quadam, vt fertur, occaſione. Multa ſane per ſecula, quoad natura illis Diuina eſſet, legibus obediebant, & erga Diuinum genus, ipſis cognatum, benigne affecti erant: & quam diu eis mens talis & natura Diuina vigeret, tam diu creuerunt, quae ſupra narrauimus, omnia. Poſtquam vero Diuina ſors in illis longo abuſu crebrisque mortalium rerum affectibus inquinata euanuit, mosque humanus praeualuit, tunc primum quia praeſentia ferre non poſſent, dedecori ſuccubuere. —— Tum Deus Deorum, qui legum vindex erat & cuſtos, quique poteſt talia perſpicere, cum generoſam ſtirpem deprauari cerneret, homines que eos punire vellet.* Cetera, quae ſequerentur in Critia de poena ipſa, Atlantibus inflicta, deficiunt; ſunt tamen ex Hiſtoria Biblica ſatis nota & leguntur 2 Chron. XXXVI, 14. 21. 2 Reg. XVII, 13. 23. Morum propter deprauationem legumque transgreſſionem e ſua patria in hoſtium terram abducti ſunt, totusque Iſraël & Iuda alluuie tamquam, vt loquitur Sacra Scriptura Eſai. VIII, 7. XVII, 12. 13. Apoc. XVII, 15. Pſ. XCIII, 3. 4., disiecta fuit. Hoc excidium profanos fugere non potuit, quum illud antea Moſes vaticinatus fuiſſet Deut. XXIX, 24. 25. in hunc modum. *Denique dicant omnes gentes, quam ob rem affecit Iehoua*

ſic terram iſtam, quique aeſtus irae iſtius maximae. Denique dicant; quia deſeruerunt fedus Iehouae, Dei maiorum ſuorum, abeuntesque coluerunt Deos alienos, ideo accenſa eſt ira Dei in terram illam —— exſtirpauitque eos Iehouah e terra ipſorum —— & diiecit eos in aliam terram. De hac re etiam teſtatur Ierem. XXII, 8. 9., a quo deſumta ſunt illa, quae habet Plinius L. V. c. 30. *Ex Aſia,* ait, *gentes Solymorum interiiſſe tradit Eratoſthenes: Iſidorus vero Arimos,* i. e. Syros, *vocat.* Rem vero propius tangit Strabo Geog. L. I. p. 42, dum ita: *Ebraei, qui Occidentalem Aſiae partem incoluere, extra Pontum & Colchidem ablati ſunt.* Et ſic omnia, quae tamquam maximi momenti de Atlantica tradit Plato, cum ſacra de filiis Iſraëlis eorumque terra Hiſtoria conſpirare vidimus.

XV Argumentum, deſumtum ab ATLANTVM LINGVAE RELIQVIIS. Ex his, miſſis ceteris antea oſtenſis, de veris Atlantibus conuinci poſſe, arbitramur, ſecus ſentientem, tam ſuae ſententiae tenacem, quam qui maxime. Haud multa quidem vocabula ſuperſunt; quae tamen inueni, pure Ebraica eſſe mox videbimus. Inter alia Plato *Atlas,* ait, *filium quemdam patria voce* GAD *vocauit*; quae vox Ebraica eſt: & ne quis pro lubitu hanc intorqueat, vt ſignificet ſerpentis cuiusdam aculeum, Sueth. Demgadd, exponit illam Plato per Graecum ἔυμηλον, de quo ſupr. in arg. VIII. Diod. Sic. L. III. 60 aliud vocabulum nobis offert ex Atlantum lingua: *Atlantidum,* inquit, *nomen etiam Nymphis attributum fuit, quo vocabulo eorum mulieres, praeſertim virgines vul-*

go appellabantur. Vt hanc vocem explanemus, „legamus, oportet, Buxtorfium in Lex. Chald. „p. 926. נמף, נמפי *Nympha*, *ſponſa*, eſt Grae-„corum Νύμφη, & legitur Cantic. IV. in Tar-„gum etiam ſcribunt נמפי. Et Voſſius de Idolo-„latr. L. 2, 72. hanc deducit a נוף: ניף *Nuph*, „inquit, Nympharum nomen eſt a *ſtillando*, *ef-„fundendo*. Nympha enim proprie eſt *aqua*; „ideoque Nympharum nomen proprie ad *Hydria-„das* pertinet. A vero haud abſimile videtur, Atlantas inde a tranſitu per mare rubrum hoc nomen ſeruaſſe. Quidquid ſit, a quanam natione eſſet orta gens Atlantica, ſatis prodit. *Kiriath* & *Idaea* voces quoque Atlanticas eſſe innuit Diod. L. III, 61. „Atlas, ait, X genuit filios, quos *Curetes* vocant, „& inſulae *Idaeae* nomen dedit. *Curetes*, Ebraice קרית *Kiriath*, eſt *vrbs*, *ciuitas* l. *tribus*: hinc in Cananaea Kiriath - Sepher, Kiriath - Arba, Kiriath - Sanna, Kiriath - Iearim, Kiriath - Baal, &c. Hinc vox *Quirites*; quo nomine vocabantur expulſi Cananaei, qui Romae ſedem fixere: Graeci vero ob Euphoniam & adamatam linguae mollitiem ex Kiriath fecere *Curetas*. *Idea* eſt notiſſima Iudaea, a ידה, vnde יד manus: hinc Heſychius: Ἰδαῖοι, δάκτυλοι. i. e. *Idaei digitum manus denotant*. Et clarius Tacit. Hiſt. V. 2. *Credidit antiquitas, Iudaeos ex Creta profugos nouiſſima Libyae inſediſſe, argumentum a nomine petentes, inclito in Creta monte Ida, accolis Idaeis, aucto in barbarum cognomento, Iudaeis vocitatis.* Itaque Iudaeos & Idaeos vnam eamdemque eſſe gentem liquet, quae in montana regione verſabatur Cretae,

non in ea, quam Paulus Tit. I, 12 memorat, ſed in genuina Cananaea, כרתים Krethim dicta Ezech. XXV, 16. Zeph. II, 5. & a LXX interpr. per κρῆτας verſa, de qua Anton. Giggaeus in Lex. Arab. ita habet: *Krita ſ. Creta Palaeſtinae eſt prouincia.* Adhuc vocabulum ex Atlantum lingua ſuperſtes eſt, *Rephaim* ſcilicet, Ebr. רפאים, quod per *Riphaeos montes* ſatis innotuit, quos Callimachus apud Schol. Apoll. in Arg. Lib. IV, v. 282 *in Oriente* ſtatuit. Multo autem clarius teſtimonium exhibet Mela, cum *Riphaeos*, ait, *montes gentemque Hyperboraeorum non in Europa, ſed in Aſiatico litore reperiri.* Huic adſtipulatur Strabo Lib. XVI, qui *Rapham* & *Gazam* vicinas facit. Ptolomaeus Lib. V, 15 in Syria ponit *Rapham* & Plin. Lib. V, 13 in Idumaea *Rapheam* ſtatuit. Moſes vero omnium luculentiſſime Riphaeos nobis ob oculos ponit montes, qui ita Deut. II, 20. *Terra* רפאים *Riphaeorum reputatur ipſa quoque: Riphaei enim eam antea inhabitabant, quos Ammonitae vocabant Samzummaeos.* Et c. III, 13. *Totus Baſchan vocari ſolebat terra Rephaim.* Quae forte imitaturus Plinius Lib. VI, 28 nominat oppidum *Riphearma iuxta Bacascam* (Baſchan) *in Arabia.* Ex quibus ſatis apparet, haud fieri poſſe, vt Suecorum auiculae, Ripor nuncupatae, Atlantibus ac Iſraëlitis gloriam huius vocis locique contra tot vetuſtate firmata ſatis indicia detrahant. Inter Riphaeos quoque *Anacum*, Gigantem quemdam, referunt Poëtae, qui nomen ab Athleta famoſo *Anak* in Hebrone deducit, Num. XIII, 23. Deut. II, 10. Ioſ. XI, 21. XIV, 12. XV, 14. Ab

Ebraeis

Ebraeis *Acherontis* mutuarunt vocabulum Poëtae, quod non quidem *Abyſſum* deſignat, ſed potius *exteriorem quemdam locum.* Fluuii Acherontis & ſitus & vera ſignificatio ex Deut. XI, 24 facile liquet: ſic enim Moſe: *Omnis locus, quem calcauerit planta pedis veſtri, veſter erit; a deſerto ad Libanon vsque, ab ipſo flumine Phrat ad* הים האחרון, i. e. Mare Acheron, *erit terminus veſter.* Cfr. c. XXXIV, 2. Ioël. II, 20, & erat idem cum mari Suph ſ. Mari rubro. Exod. XXIII, 31. Et ſic voces, quas e ſuperſtite Atlantum lingua attulimus, Ebraicas eſſe, ſatis ſuperque conſtat. Si igitur non aliunde notus eſſet Atlantices genuinus ſitus, ex his tantum linguae monimentis haud difficile nobis innoteſceret.

XVI Argum. AB ATLANTIS VITA, quae cum Patriarchae Iſraëlis ſatis concordem eſſe commonſtrabimus. Etenim I. *eorum nomina idem ſignificant*, Cfr. §. I. II. *idem vtrique eſt locus natalis.* Iſraël originem ab Vr in Aſſyria, late ſumta, i. e. Aſia trahit, inque Aegypto interdum commoratur, vbi diem quoque obiit ſupremum. Haec Diodoro Sic. anſam ſubminiſtrauere Lib. III, 60, Plinio L. VII, 56. Nat. Comiti in Mythol. L. IV, 7. *narrandi, patrem Atlantis fuiſſe Vranum, Matremque Aſſyriam ſeu Aſiam Aegyptumue.* III. *A vitae generis conuenientia* cognoſcitur etiam Atlas. Vterque paſcendis pecoribus operam dedit; ac proinde Atlas apud Nat. Comit. l. c. ποιμὴν dicitur, & addit Diod. L. IV, 22, fratrem eius in Arabia habitaſſe. *In terra*, inquit, *quam Heſperitim vocant, duo incliti nominis fratres vixerunt,*

Heſperus & Atlas. His oues erant mirum in modum elegantes. Hos fratres Iſraëlem fuiſſe ac Eſauum, Heſperiae ſ. Arabiae incolas, capite ſecundo demonſtrare conabimur. De his ita canit Ouidius Met. L. IV, 635.

Mille greges illis, totidemque armenta per herbas
Errabant:

IV. Diodorus teſtatur, *Atlantem duas duxiſſe vxores, e conſanguineis eius natas,* Rachelem nimirum & Leam, quae illi X liberos, i. e. Atlantidas ſeu X tribus, pepererunt. V. refert Ouidius Faſt. L. V. 81, *Atlantem ſuas deuiciſſe filias* h. e. Septem Cananaeorum gentes, quas ſubiugauit Iſraël, quaeque Orientali more *filiae* appellantur, Cfr. Ioſ. XV, 45. 47; eaedemque fuere ac illae, quarum nomina Deut. VII, 1. recenſentur *). VI. *Atlantem Dyrin vocatum fuiſſe* ex Strabone conſtat L. XIII., l. *Ad-*

*) Atlantidum ſ. Atlantis ſeptem filiarum nomina Graeca ſunt, optime cum tribubus ſeptem Atlanticis conuenientia. Prima erat *Dione* a δέος, timor; *Chettim* a חתת, terror. Secunda *Corone* a κορέω, verro; *Girgaſchim* a גרש expulit, eiecit. Tertia *Cleia* a κλείω celebro; *Amorim* ab אמר verbis exaltauit. Quarta *Eudora* ab ἔυδωρος, munificus; *Canaanim* a כנע merx. Quinta *Phaeole* ſ. *Paſiphae* a πᾶσι καὶ ὅλη φάω, omnibus tota appareo; *Periſim* a פרז pagus omnibus apparens ſine muro. Sexta *Phao* a φάω dico; *Chiuim* a חוה indicauit. Septima *Thiene* a θέω curro, l. θὶς arena; *Iebuſim* a בוז calcare.

l. *Addirim*, Solin. c. 24. & Martian. Capel. L. VI. Priſcianus L. VI. ita: *Abdir vel Abaddir eſt* βαίτυλος; & L. V. *Abadir Deus eſt, dicitur & hoc nomine lapis, quem Graeci* βαίτυλον *vocant*: & Heſychius: *Baitylos lapis eſt, quem Saturno pro Ioue dederat Rhea.* Haec mutuata & deſumta ſunt ex lapide, quem Diuino in Beth-El Templo conſecrauit Iſraël. Gen. XXVIII. 19-22. VII. *Atlantem coelum humeris portaſſe* vbique apud Poëtas legimus, de qua re ita Virgil. Aen. L. IV, v. 480.

Oceani finem iuxta, ſolemque cadentem,
Vltimus Aethiopum locus eſt, vbi maximus Atlas
Axem humero torquet, ſtellis ardentibus aptum.

Contigit Iſraëlitis ſolis illa felicitas, vt Dei coelum humeris ſuſtinerent, i. e. Arcam & Tabernaculum, ex quo Deus per XL annos tamquam e ſuo coelo ſe conſpiciendum ſtitit. Nullum coelum alium terra portatum fuiſſe, excepto Tabernaculo, legimus. Hoc autem quum in deſertis Arabicis, per quod Arcam Diuinam duxerunt, acciderit, eumdem etiam locum indigitat Virgilius, quem a) *iuxta Oceani terminum* ponit. Oceanus hicce non mare illud eſt magnum, quod totum orbem ambit: illud enim non ante Herodoti tempora innotuit, vt ipſe L. IV, c. 8. ita teſtatur: *Oceanum, ab ortu incipiens, circumfluere terram, verbis quidem affirmant, re tamen non demonſtrant.* Et Euſtath. in not. ad Dionys. Perieg. p. 35. *Multorum Poëtarum opinio fuit, Oceanum fuiſſe fluuium.* Apud Homerum *Oceani* tantum *fluenta* reperiuntur & *fluuius;* idem ille, qui mare mortuum influit,

fluit, vt Orpheus v. 1079 ſatis prodit: *Arcam portantes anguſtum tranſiere fluuium, terminosque attigere maris, quod Oceanum vocant, alii Cronium, Mare Hyporaeorum, Mortuum.* Quod Oceanus idem priſcis temporibus fuerit ac mare mortuum, antiquus hic refert Poëta: addit & praeterea aliud nomen, quo ſeſe explicat, cum idem appellat *Mare Cronium*, non ad Polum Arcticum, vt nonnullis placuit, transferendum. Septemtrionalis magni aequoris pars Orpheo ſane haud nota erat: *Mare* vero *Mortuum* vligine ab omnibus ceteris ſe abunde diſtinguit, & Ebraeis eſt ים המלח *Iam Hamaelach*, Num. XXXIV, 2. 12. Ioſ. XVIII, 19. &c., a מלח Latinis *ſalſus*, *infructuoſus*, *euanidus fuit*, Graecis χρόνος. Plinium, vt res clarior euadat, audiamus, qui Lib. IV, c. 13 haec refert: *Mare Cronium Hamalchium appellat Hecataeus, quod nomen gentis lingua ſignificat congelatum. Philemon Morimaruſam a Cimbris vocari dicit, hoc eſt mortuum mare.* Per hunc fluuium h. e. Iordanem, in Oceanum ſ. mare mortuum l. Cronium l. vt ab Hecataeo dicitur, Hamalchium, influentem ab Iſraelitis portata fuit arca, Ioſ. III, 16. Situs erat hic locus β) e *regione Heſperiae*, quam cap. ſequ. eamdem cum Arabia eſſe probabimus, γ) *in Aethiopiae viciniis*, vt Virgilius vlterius fatetur, Aethiopiam terram eſſe Chus in Arabia, cuius vrbs Gerar ad Iſraëlitas vsque pertingebat, videtur ex 2 Chron. XIV, 9-14. Gen. X, 7. 19. VIII documentum nobis ſubminiſtrant *nubes & fulmina*, denſa mixta caligine, qua mira & terribilia viſu audituque fuere

Atlan-

Atlantibus in Monte Sinai, eo tempore, quo lex Diuina promulgaretur; de quibus Dionyſ. Perieg. v. 64.

- - - Muſae incipite ab Heſpero mari,
Vbi columnae in finibus Herculis
Stant, ingens miraculum ad extremam Gadiram
Alto ſub monte longè lateque diſperſorum Atlantidum:
Vbi etiam aenea in coelum excurrit columna
Excelſa, denſisque operta nubibus.

Huic adſtipulatur Virgil. Aeneid. L. IV. 246.

Iamque volans apicem & ardua latera montis
Atlantis; cinctum aſſidue cui nubibus atris
Pinniferum caput & vento pulſatur & imbre.

Ad rem ipſam propius accedit Herodotus, qui L. IV, 184: *Mons*, ait, *Atlas anguſtus & teres; vndique adeo celſus, vt cacumen cerni nequeat, quod a nubibus numquam relinquitur. Eum itaque eſſe κίονα* (columna) *coeli indigenae aiunt.* Hae aliorumque in hac re teſtimonia Moſi debentur, qui Ex. XIX, 16. 18. ita: *Et exſtitit fragor & fulgur & nubes denſa ſuper Montem. Mons autem Sinai fumabat totus, propterea quod deſcendebat ſuper eum Iehoua in ipſo igne — & contremiſcebat totus mons.* Deut. IV, 11. *Et mons ardebat vsque in coelum ſummum, etiam tenebrae erant, nubes & caligo.* Conf. Ex. XXIV, 15 - 18. Deut. V, 22. Haec, quae in monte Sinai accidebant, pro re ſtupenda potius habenda ſunt, quam ea, quae quotannis apud noſtrates euenire nouimus, nimirum montes aſſidua ſempiternaque niue eſſe tectas,

&

& hanc ob cauſſam pro miraculo numquam eſt reputandum.

IX *Atlantem in montem transmutatum fuiſſe* legimus in Ouid. Met. L. IV, v. 654; proinde etiam nouum nobis ſiſtitur populi Iſraëlitici indicium, qui in montibus Cananaeae, & pulcritudine & fertilitate praeſtantiſſimis, habitacula ſua fixère, vide Deut. III, 25. XI, 11. & ſupra arg. X., Graecisque, Atlantem in Montem conuerſum fuiſſe, ſcribendi occaſionem praebuere. Ita Deus hanc gentem alloquitur, ac mons eſſet vniuerſa: e. g. Ezech. XXXVI, 1. VI, 3. Eſai. LI, 1. &c. *Mons Iſraël, auſculta verba Dei.* Praeter ea, quae Diuina teſtimonia de monte Iſraël perhibent, nullam gentem in montem fuiſſe verſam referunt Hiſtorici. Denique X. *a fatali interitu* Iſraëlem agnoſcimus. Augurabantur Diuini Vates, fore, vt, quemadmodum omnibus ſatis eſt notum, ob contumaciam gloriae Arcam amitteret atque perderet Iſraël. Ac proinde perhibet Nat. Comes Myth. L. IV, 7. *fama communi percrebuiſſe, quod Atlanti per Oraculum, a Tummim editum, nuntiatum fuiſſet, fore, vt aliquando illud tempus adeſſet, quo a Dei filio regno expelleretur.* Luculenter canit quoque Ouid. Met. L. IV, 17. v. 642.

- - - - - - - - Memor ille vetuſtae
Sortis erat: dederat Themis hanc Parnaſſia ſortem:
Tempus, Atla, veniet, tua quo ſpoliabitur auro
Arbor, & hunc praedae titulum Ioue natus habebit.

De

De arbore, h. e. Area, auro obducta dilucide Poëta fatur, eaque refert, quae ad aliam quamdam Hiſtoriam haud poſſent accommodari. Ex circumſtantiis ſingulis, diligenter penſitatis, iudicatu erit facile, haud fieri poſſe, vt profanis Scriptoribus notiſſimus Atlas alius ſit, quam Iſraël, tot nominibus, tantaque fama per totum terrarum orbem celebratiſſimus.

Cetera Platonis aliorumue Graecorum de Atlante Atlanticaque, huc vsque haud ſatis nota, ſcripta excuteremus; ea tamen ob prolixum, quod tum exſurgeret, opus, intacta mittimus. Certe quidem ſperamus, fore, vt ex illis, quae explanauimus, haud difficile peruidere poſſit aequus noſtrae opinionis Cenſor, quatenus tandem poſt tot eruditorum conamina rem, vt dicunt, acu tetigerimus. Neque, Platonis inueſtigaturi inſulam, vanis vſi fuimus coniecturis, quas ex locis ignotis vel in America vel in vaſtis Africae deſertis capiunt nonnulli; neque talia arripuimus argumenta, quae, fabulis ac aenigmatibus intexta, e Scriptoribus, ante vnum vel alterum viuentibus ſeculum & Atlanticam plane ignorantibus, erui poſſent. Illum denique finem ſpectandum nobis ſemper propoſuimus, vt tales e Platone conquireremus characteres, qui nulli vmquam genti affingi poſſent praeter Iſraëlitas, quorum Hiſtoria tantae eſt euidentiae, vt nihil ſupra. Vtrum igitur XVI haec noſtra, quibus Atlanticam Iſraëlitis vindicauimus, argumenta aliorum vel centenis forte aequiparari poſſint, an ſecus, eruditi Lectoris iudicio committimus.

CAPVT II.

DE

HESPERIA ARABVM.

§. I.

Poſtquam Iſraëlitae feliciter Rubrum tranſiere Mare, pluribus S. S. locis dictum סוף & אחרון, vt Deut. XI, 24. XXXIV, 2. Ioël. II, 20. Exod. XXIII, 31., primum illis peragranda obuenere vaſta illa deſerta Arabica, ob innumera miracula, a Deo per XL annos oſtenſa, Graecis ceteriſque vicinis gentibus ſatis nota atque cognita. Inter multa illa nomina, deſertis iſtis impoſita, vulgatiſſimum fuit & plane Graecum *Heſperia.* Supra cap. I. §. I. ex Solone & Dionyſii Schol. Euſtath. oſtendimus, Graecos ſemper fere nomina exoticarum regionum barbara, ſeruata vi vocis, in ſuam linguam transpoſuiſſe. Hinc haud difficili negotio inueniri poteſt & nomen & ſitus Heſperiae; ἑσπέρια enim ſignificat *Occaſum Solis*, עֶרֶב Ebraeis, Cfr. Eſai. XLV, 6., vnde ערב Arabia, cuius mentio fit 2 Par. IX, 14. Eſai. XXI, 13. Ez. XXVII, 21. Ita Bochartus in Phal. L. I, 17. ערב, ait, *Ebraeis tam occaſum, quam Arabiam ſignificat*, & in Can. Lib. II, c. 1. *vox Graeca Erebus idem ſignificat ac Ebrae-*

Ebraeorum ערב. Vnde ſatis apparet, omnes Poëtarum de Erebo fabulas illos ſpectare caſus, quos in Arabia experta fuit Diuina gens. Et quum Erebus, teſte Heſychio, *tenebras* denotet, hanc vocem Graeci per ἄιδην, ab ἀ priu. & εἴδω, expreſſerunt. *In Erebum fratrem Atlantis ob pertinaciam detruſum fuiſſe* legimus apud Heſiod. in Theogon. v. 589. Frater hic Atlantis fuit Eſau, qui montem in Arabia Seir & Heſperica nemora poſſedit.

§. II.

Antecedenti capite fixis argumentis euictum eſt, Atlantem & Iſraëlem fuiſſe vnum eumdemque, ex quo patet, fratrem Atlantis fuiſſe Eſau, in Arabia degentem, Gen. XXXII, 3. XXXIII, 14. Itaque Nat. Comes Mythol. L. IV, 7. VII, 7 cognatos Heſperidum oſtenſurus, ' *Heſperidas*, ait, *fuiſſe Atlantis fratris filias*, h. e. Arabas fuiſſe Eſaui, Iſraëlis fratris, gnatos. Horum optima vrbs maritima iuxta rubrum Mare fuit Elot עלט, 1 Reg. IX, 2. 2 Chr. VIII, 17., quae *noctem* ſignificat, Geneſ. XV, 17. Ez. XII, 6. 7. 12. & Heſiodo in Theogon. v. 24. occaſionem praebuit fingendi, *noctem peperiſſe Heſperidas*, i. e. Arabes iuxta Eloth educatos fuiſſe. Dum in hoc Aſcraei Vatis loco explicando opera noſtra verſatur, illa, cuius antea ſaepius mentionem iniecimus, tenenda eſt regula, Graecos nimirum nomina Barbara, ſeruata vi vocis, Graece vertiſſe. Ille vero, qui ſibi haud profuturum eſſe exiſtimat, ipſo claue vti in reſerandis explicandisque eorum fabulis & Hiſtoriis,

is,

is, mihi crede, aenigmata Graecanica, aut aliam rem fabuloſam recte numquam indagabit.

§. III.

Eadem ratione facillime cognoſci poteſt, quid Poëtae indigitarint, dum celebres memorant Heſperidas, quorum Apollodorus Bibl. L. II, 5. §. 11. & Nat. Com. Mythol. L. VII, 7. quatuor enumerat; nimirum vna AIGLE dicitur. Latinis *ſplendor ſerenitas*, transpoſito nomine a זהב *Sahab* l. *Sab* ſiue *Saba*, regio auri copia celebratiſſima & ſimul vrbs Arabiae primaria, (1 Reg. X, 2. Cfr. Bochart. Phaleg. L. II, c. 26) quam Heſiod. Theog. v. 274 Ευρύαλην vocat, i. e. *amplam, latam & patentem*, reſpondetque Ebraeo & Arabico מרבה, *Mirba*, a רבה *amplificauit, dilatauit*. Erat autem *Mireba* l. Meriba Sabae vrbs domina. Geogr. Arabs Clim. I. part. 6. ita: *etiam ex urbibus terrae Hadramauth erat Marab, nunc diruta; ea autem eſt urbs Saba.* Hinc recte omnino Agatharcides c. 50 *Sabaeorum*, inquit, *vrbs Metropolis Sabas nomine omnium in Arabia pulcerrima;* & Plinius L. VI, c. 20. *Regia uel Regina omnium urbium Sabae Mariaba.* Cfr. etiam Eratoſt. de Sabaeis. Artemidoro eſt *Mireba*, quod adhuc propius ad Hebraeam dialectum accedit.

§. IV.

Altera Heſperidum dicitur ERITHIA, in Graecorum ſcriptis percelebris, quae Iſraëlitarum fuit metropolis *Samaria.* Et quum duae dimidiaque tribus Iſraëlitarum intra fines eſſent Arabiae verſus Iordanem, non mirum eſt, ſi Atlantae inter Heſperidas & Arabas numerentur. Eubulus, Nat. Comes

mes L. IV. c. 7 & Diod. Sic. L. V, *Heſperidas Atlantis eſſe filias*, teſtantur. *Samaria*, a שמר cuſtodiuit, Graece Erythia ab ἐρύω cuſtodio, Iſraëlitica regio fuit & metropolis. Quum vero illae tribus, quae Erythiam ſ. Samariam incoluere, quoad partem Gadis eſſent filii, apud Kadem Barneam habitantes, Strabo L. III. ita: *antiquiſſimi*, inquit, *iſtam regionem, quae penes Gadem erat, vocarunt Erythiam*, i. e. Samariam: item Plinius L. IV. c. 22. *Terram, ab Ephoro & Philiſtide dicta Erythia, Gadir appellant Poeni*, quos & Iſraëlitas eosdem fuiſſe vlterius ex his Plinii verbis L. IV. c. 27 liquet: *Erythia dicta eſt, quia Tyrii, aborigines eorum orti ab Erythraeo mari ferebantur.* Hi igitur Tyrii, e rubro mari orti, erant Iſraëlitae. Huc accedit, quod referunt Heſiodus & Graeci antiquiſſimi Heſperidam Erythiam alio nomine nuncupatam fuiſſe *Stenonem* ſ. Meduſam, a σθένος robur & μεδέω impero; quae voces genuinam produnt ſignificationem τοῦ Iſraël, a שרר & אל. Immo videtur, Graecos quaſi indigitaſſe tribum Gadis, dum hanc Heſperidam Arethuſam vocant, ab Ἄρης Mars & θύσσω quatio, cum qua vox Gad, *bellicoſum* denotans, conſpirat. Gen. XXX, 11. Itaque ex ſola Graecarum vocum in Ebraeam linguam verſione ignotas cognoſcimus Heſperidas veramque Erythiam, quam, ſecundum Ammiani Marcellini L. II. Plinii L. IV & Strabonis L. III ſententiam, *in Gade Hiſpanica fruſtra quaerimus*, ſed prope ad Gerar & Geraeos certe inuenire poſſumus: qua in re Cfr. Dionyſ. Perieg. v. 558. Strabo L. XVI. Diod. Sic. L. III, 42. Gen. X, 19. XX, 1. &c.

§. V.

Tertiam Heſperidum & celebrem gentem Arabicam appellarunt Graeci ESTIAM l. Veſtam, Graece Εςια, *terra.* Ita canit Ouid. Lib. VI. faſt.

> Veſta *eadem eſt & Terra, ſubeſt vigil ignis vtrique;*
> *Significat ſedem Terra focusque ſuam.*

Atque haecce Graeca vox translata eſt ab אדם *Adam & Edom, terra rubra & ignis ſpeciem colore referens. Edom* regni erat nomen Eſauitici in Arabia. Tres igitur Heſperidas & Arabiae incolas, Sabaeos videlicet, Samaritanos & Edomaeos, ſine multa ambage explanatas ſtitimus.

§. VI.

Ne vero quis ſibi perſuadeat, haec argumenta, a ſola Etymologia petita, haud conſpirare cum rei ipſius indole et natura, Heſperiam quaeramus apud Strabonem, qui eius fines & limites ita deſcribit L. XVII. *In mari extero Aethiopum regio Heſperia dicta eſt.* Notandum eſt, vnicum tantum mare in toto terrarum orbe iure meritoque dici poſſe *exterum*: mare ſcilicet *Suph* l. Acheron, quod Graecis eſt: ἡ ἔξω θάλαττα, vt §. I. innuimus. Itaque Heſperia apud Acherontem ſiue mare rubrum indaganda. Aethiopiam vel terram Chus in Arabia & confinio regionis Iſraëliticae inuenimus, vt ex Chron XIV, 14. Gen. X, 7. conſtat, de qua Aethiopia eiusque deſertis ſabuloſis & ſerpentibus Cfr. Nat. Com. Myth. L. VII. c. 7. Arrian. de reb. Iud., Diod. Sic. L. II. c. 54., & Deut. VIII, 15.

§. VII.

§. VII.

Argumentum haud ſpernendum, quo Heſperiam eſſe Arabiam probatur, *ab itinere Iſraëlitarum per mare rubrum in Heſperiam* deſumi poteſt. Certe namque conſtat, traiecto ab Iſraëlitis mari, Arabiam primum, quod tetigerunt, fuiſſe ſolum, quod a Graecis Heſperia appellatur concordiſſime. Ita Euripides in Herc. Fur.

Ad puellas argutas
Venit in aulam Heſperiam
Aureis a foliis mala aurea
Fructum decerpturus manu,
Dracone, rubrum habente tergum,
Interfecto. Aequorei maris ſinus
Ingreſſus eſt mortalibus remis.

Haec ita a Nat. Com. Myth. L. VII. c. 7 explicantur: *qui Draconem fluuium dixerunt & Heſperiam inſulam, illi Herculem inquiunt, ad inſulam, obſeruatis opportunitatibus, traieciſſe, cum fluuius ille factus eſſet peruius, ob ſiccitatem atque inde cepiſſe oues* ſ. Mala. Obſeruandum eſt, hunc Draconem, quem aurearum ouium fuiſſe cuſtodem ſtatuunt ſcriptores antiquiſſimi, re vera eſſe *Mare rubrum.* Etenim apud Poëtas mos obtinuit appellandi ſinus marinos *Dracones.* Cfr. Dionyſ. Perieg. p. 51. Idem mare Eſaias *Draconem* vel *Balaenam* vocat cap. LI. v. 9. Rem igitur, vt aiunt, acu tetigit Solinus c. 27: *ita enim*, inquit, *comparatus fuit Draco ille peruigil & cuſtos malarum aureorum & lucorum Heſperidum* —— —— *Flexuoſo meatu aeſtuarium e mari fertur adeo ſinuoſis lateribus*

tortuoſum, vt viſentibus procul lapſus angueos, facta vertigine, mentiatur; itaque, quod hortos appellauere, circumdat. Heſperiam igitur terminabat ab vna parte *Mare rubrum* ſiue Draco, cuſtos ille aquatilis, vt adhuc multo apertius teſtatur Euripid. in Hippol. v. 732.

Ad litus pomis plenum Heſperidum
Argutarum conficerem iter,
Vbi Neptunus marinus rector ſtagni rubri.

Huius maris portus, vrbs & regni Edomaeorum domina *Eloth*, *noctem* ſignificans, Heſiodum impulit, vt traderet, *noctem* peperiſſe ac educaſſe Heſperidas, Theog. v. 211, illasque apud *Noctem* habitaſſe, vid. v. 2-4.

§. VIII.

Neque Heſperiae confinia indicare intermiſit Strabo, dum L. VII. p. m. 199 narrat, *Montes Riphaeos & regnum Ogygis, item & domicilia Gorgonum in Heſperia fuiſſe.* Heſiod. l. c. ſtatuit, *Gorgones trans notiſſimum Oceanum habitaſſe ad fines Terrae, vbi Heſperides Steno & Meduſa multa perpeſſae ſint mala.* Haec allata nobis quinque ſuppeditant argumenta, a quibus colligimus, Heſperiam & Arabiam eamdem fuiſſe regionem. I. MONTES RIPHAEI ſ. REPHAIM, qui per coniecturas & inſulſas fabulas e Arabia numquam euelli poſſunt. Vide Deut. II, 20. III, 13. ſupra c. l. §. 13. II. nobis praebet *Regnum Ogygis*, quod etiam pars fuit Arabiae. De Ogo Rege Baſan & Riphaeo gigante vide Deut. III, 1. Num. XXI, 33. Ioſ. XII, 4. XIII, 12. II, 10. IX, 10. &c.

Ly

Lycophron in Caſſandr. eum appllat Ogen, *Titan*, dicens, *Ogini fuit uxor*, & Pherecydes apud Clem. Alex. ςϱ. 6. *Zas pallium confecit, in quo Ogenem eiusque terram intexuit.* Praeter vnicum hunc nullus Og vel Ogys vetuſtiſſimis in Hiſtoriis reperitur, qui imperii ſceptra tenebat, Iſraëlitica gente per Mare tranſeunte rubrum Aegyptiisque eodem tempore ſubmerſis, quae res Graecis occaſionem dedit Hiſtoriam contexendi de Diluuio Ogygio. Ab hocce Ogo Mare mortuum Oceanus dictum eſt, teſtante Bocharto Can. L. I. c. 36., *Phoenices rubrum Mare appellaſſe* חוג *Og, i. e. Mare ambitus, vnde Graecis nata vox Ogen* ὤγην, *quod Oceani fuit priſcum nomen, teſte Heſychio.* Diod. Sic. L. I, 19 hoc mare *Ogeanum* nominat: non vero magnum fuit illud mare, quod totum terrarum orbem circumfluit, ſed *mare incluſum a* חוג. Eſai. XL, 20. Prouerb. VIII, 27. Sic etiam Euſtath. ad Iliad. V. v. 6. *Oceanus allegorice ſignificat Ambitum.* Graecorum igitur Ogen & Ogys eſt a rege Baſan *Ogo*, inde Ogeamus, ab *Og* & *Iam*, h. e. Mare Ogis, quod erat mare mortuum, & denique Oceanus. III. arg. deſumimus a GORGONVM PATRIA, quae de ſitu Heſperiae in Arabia quoque teſtatur. Etenim vox *Gorgon* in Septemtrione non eſt nata a *Gerkönen*; ſed, vt omnibus conſtat, vocabulum eſt pure Graecum Γοϱγὸς, *terribilis*, quod interpretandum eſt a רפאים, Gigantum nomine, qui in Arabia ſedem habuere. Deut. II, 2. De huius vocis ſignificatu ita Rabbi Bechai in Deut. II. *eam ob cauſam Rephaim vocantur, quod ille, cui eos aſpicere acciderit, terrore*

 corre-

correptus & conſternatus manus demiſerit: Aliud Gigantum genus *Emim* dicebatur. Deut. II, 11. Geneſ. XIV, 5. ab אים *Aiam*, terribilis: vnde אֵימָה *terror* & אמים *Emim*, terribiles, formidabiles. Tertium genus Gigantum erat *Enakim*, ita dicti, *quum corporis ſtupenda proceritate terrorem omnibus incuterent*. Rab. Salomon ad Num. XIII, 25. Deut. IX, 2. Et hi Rephaim, Emim & Enakim tres fuere Gorgones, cum quibus Atlantae i. e. Iſraëlitae dimicarunt, vt ait Diod. Sic. L. III. c. 54. Cfr. Deut. II, 9. &c., quique in Heſperia h. e. Arabia habitarunt, quae IV. SITA FVIT TRANS SAEPIVS NOMINATVM OCEANVM. Mare illud, magnum dictum, Atlantum tempore Graecis vix fuit notum; ille vero Oceanus, quem fuiſſe mare mortuum ſupra C. I. §. XIV demonſtrauimus, ſ. *Mare Hammelach* a Moſis & Abrahami temporibus per S. S. innotuit, ſitusque fuit haud procul a δήμῳ ὀνείρων i. e. *populo ſomniorum*, Hom. Odyſſ. VI, v. 10, qui *Scenitarum* venit nomine. Cfr. Ptolom. Geogr. L. VI, 7. & Plinium שֵׁנִית enim Ebraeis eſt *ſomnium*. Robur ſententiae noſtrae quoque addit argum. V., quod nobis praebet ESCHATIA ſ. finis Terrae. Quum Tellus ſphaerica ſit finemque neſciat, ideoque hic locus non potiori iure Terrae finis vocari poſſit, quam alius; haud naturae congrua eorum eſt opinio, qui, Poëtas per finem Terrae intellexiſſe Polum Arcticum, fabulantur. Res foret ab omnibus deridenda, ſi, indiciis naturae repugnantibus, inter pruinas & frigore ac glacie marcida loca *Hortos* fingeremus *Heſperidum* amoeniſſimos, *campos Elyſii* aut *Beatorum*

rum Inſulam. Itaque τὰ πέρατα τῆς γῆς ſ. *fines terrae* regionem quamdam Arabicam eſſe rectius omnino putemus, ita Ebraice appellatam & deinceps Graece verſam. Teſtis nobis eſt Sacer Codex, qui *Arabiam* 1 Reg. X, 1. vocat πέρατα τῆς γῆς Matth. XII, 42. Luc. XI, 31. neque diſſentit Ieſus Syrachidis filius, qui cap. XLIV, 23. terminum Iſraëlitarum ponit ab Auſtro *finem terrae*, ex quo conficitur, in Arabia fuiſſe regionem hoc nomine inſignitam. Eſchatiam exprimit Mons *Caſis*, vnde Caſanitarum gens, quam Ierem. *Caſuſi* vocat cap. IX, 24. *Viſitabo*, inquit, *Edom & filios Ammonis, & Moabum &* קְצוּצֵי פֵאָה, *Ceſuſe Peah*, h. e. Ceſuſi in deſerto, ſeu Arabas, extremis deſerti locis inhabitantes, vt Kimki & Rab. Salomon exponunt, teſte Buxtorf. in Lex. Cfr. Ier. XXV, 23, vbi *Terrae Caſiae*, i. e. finis terrae, fit mentio: & cap. VI, 20. *Thus e Saba aduenit & Calamus odoratus praeſtantiſſimus e finibus Terrae* ſ. terrae Caſiae, a קצה amputauit, vnde קָצָה *finis, extremitas.* De Caſio Monte & Caſanitis lege Ptolom. L. VI. c. 7. Plin. L. V. c. 11. 12. Strab. L. XVI. Philoſtratus igitur in vita Apoll. Thyan. L. II. c. 14. *in clypeo*, inquit, *Herculis inſculptus erat terminus terrae penes Gadem*, Kadem nimirum Barneam, quae commemoratur Num. XIII, 27. 20. I, 14. Ez. XLVII, 19. & antiquiſſimis tantum temporibus fuit nota. Hinc Stephanus Byz. de Vrb. Heſperiam nuncupat *Eſchatiam* i. e. finem terrae. Ebraeorum praeterea העברים *Iberim* ſ. Iberi quoad ſignificationem & vim vocis congruit cum *Eſchatia*; de qua voce Bochart. in Phal. L. III. c. 2. ita. *In*

Euangelio Syro & in verſione Syra Pſalmorum paſſim vſurpatur vox Iberim, vbi Graecus habet πέρατα τῆς γῆς. Merito igitur Iberi dicti, qui ex Phoenicum ſententia terrarum fines vltimos habitarunt. Haec, ſiue Ebraeos ſiue Caſſanitas aſſumſerimus, expreſſe tamen nobis congruentiam oſtendunt Heſperiam inter atque Arabiam.

§. IX.

Nouum documentum noſtraeque firmamentum opinionis nobis affert Maximus Tyrius in diſſert. XXXV. c. 225 & 373. *Heſperii*, inquit, *Libyes terram incolunt anguſtam, in longum diffuſam, mari cinctam vndique, —— ——, —— & his hominibus ſacer eſt Atlas —— —— maxime mirum videtur, quod mare circa Atlantem, muri inſtar, ab vtraque parte erectum adeo fuiſſe dicatur, vt ipſe fundus maris conſpici poſſet —— —— —— Sala vero vrbs eſt prope fluuium Salam —— —— —— & Atlantum mons circa Lunam ſitus eſt.* Euidentiſſima heic habemus indicia, quae Arabiam, non *vallem Glyſeam*, (Glyſiswall) indicant. I. HESPERIAM, ait, ET LIBYAM ESSE EAMDEM TERRAM, quae confinis eſt Gerari Arabiae & Palaeſtinae; de qua re 2 Chron. XIV, 14. ſupra cap. I. §. V. II. HESPERIAM MARI FERE CINCTAM ESSE, ex mappis Geographicis facile colligitur. III. HIS HOMINIBVS SACRVM ESSE ATLANTEM tradit Max. Tyrius, quum duae atque dimidia tribus cis Iordanem verſus Arabiam habitarent. IV. quae de MARIS HVIVS STVPENDA FACIE refert Scriptor, tum accidere, cum filii Iſraëlis rubrum mare permearent. Exod. XIV, 23 &c.

V. Men-

V. Mentionem iniicit VRBIS ET FLVVII SALAE, quam perantiquis noſtris cippis Runicis Iur-Sala appellatam inuenimus, *Salem* vero rectius omnino vocatur, Gen. XIV, 18. XXXIII, 18. Pſ. LXXVI, 3. & *Ieruſalem*, cuius e monte Zione torrens Siloa in Mare Mortuum labitur. Cfr. Eſai. VIII, 6. Luc. XIII, 4. Ioh. IX, 7. Denique VI. REGIONEM, ait, MONTANAM ATLANTVM IN CONFINIO LVNAE FVISSE SITAM, i. e. Ierichuntis, Ebr. ירח *luna*. Diodorus igitur Sic. L. II, c. 42. *Luna in terra Hyperboraeorum*, h. e. Ebraeorum, *eſt exſtructa*. Sed nobis opus non eſt, vt hos characteres vlterius explicemus, quum rei ipſi ſint coëui & Diuina luce adeo fulgent, vt ſine abſtruſorum aenigmatum ope colligi poſſit, Arabiam graece Heſperiam fuiſſe nuncupatam.

§. X.

Heſperiam *Horti* nomine celebrant Graeci herbas ob praeſtantiſſimas ac aromatifera gramina, quae ibi affatim & ſponte luxuriabant, de qua ſoli vbertate ita Diod. Sic. L. III. c. 46. *totam Arabiam naturalis fragrantia replet, eo quod pleraque omnia, vnde praeſtantiſſimi odores exſpirant, abunde ibi naſcantur. In maritimis balſamum creſcit & Caſia, quae recenti adhuc vigore ſuauiſſimam oculis voluptatem affert. In mediterraneis ſiluae opacae ſunt, inque his celſae Thuris Myrrhae, Palmae, Calami, Cinnamomi & aliorum ſuaue olentium arbores exſurgunt, —— —— adeo vt harum fragrantia continentem hanc praeternauigantes voluptatis ſuae immunes eſſe non ſinit. Veris enim tempore excitatus a terra ventus e myrrhiferis & id genus ceteris*

arbuſtis exhalantes odorum auras in vicinas maris partes transmittit, adeo vt, qui participes huius boni ſunt, Ambroſia, fabulis decantata, fruantur: & Lib. II, c. 49 narrat idem, *Aromata & id genus alia gramina & virgulta tanta luxurie creſcere, vt, cum apud alios raro Deorum altaribus imponatur, apud hos accendendis clibanis largiatur materiam.* Cfr. c. 48. Strabo L. XVI. Plin. L. XII. c. 17. vbi talibus depinguntur coloribus vaſta illa Arabiae deſerta, vt reliqui orbis horti, ſumma artificum cura cultiſſimi, cum hisce comparari neutiquam poſſint. Ambroſiam, Poëtis notiſſimam, eamdem ac mannam eſſe, Iſraëlitarum in Arabia cibum, facile videtur. Sic mirandam prorſus ſimilitudinem inuenimus Arabiam inter & Hortos Heſperidum, qui haud ſine maxima diſſimilitudine boreali Americae parti vel Europae tribui poſſunt.

§. XI.

Atque in hac Arabica Heſperia deprehendimus *Mala* illa *Aurea*, quae Agretas in reb. Libyc. apud Nat. Comit. L. VII. c. 7. commemorat, & Diod. Sic. L. IV. c. 27. ita: *in terra, quam Heſperitim vocant, vixerunt Heſperus & Atlas. His oues erant mirum in modum elegantes rubicundo aurique aſpectus colore, qua de cauſſa Poëtae ſua phraſi Aurea Mala dixere.* Gemini iſti fratres *Atlas* & *Heſperus* fuere Edomaei & Iſraëlitae in Arabia commorantes & vagantes, quibus numeroſi admodum erant ouium greges, vt conſtat ex Lib. Geneſ. Nec has oues *aureas* dixere Graeci eam tantum ob rationem, quod rubicundi & aurei coloris eſſent, vt docet Diodorus: alia quoque cauſſa fuit, ob quam

quam μῆλα vocabant χρυσᾶ, nimirum, quum, vt ſaepius dictum eſt, Arabicas & Ebraicas voces in linguam vernaculam verterent, μῆλα' ob generis praeſtantiam vocitarunt *oues Arabicas & Sabaeas*. Etenim *Saba*, prae ceteris Arabiae populis, armentis & ouibus ditior fuit. Ezech. XXVII, 21. Plin. L. VI, 28. Diod. L. II. c. 50. praeterea vox זהב *Aurum* denotat. Quemadmodum Aurum Ophir & Paruaiim, Pruna Damaſcena, Holoſerica Perſica vocarunt veteres, ita etiam iure Oues dictae fuere *Sabaeae* & *aureae*, quas Iſraëlitae, duce Hercule, i. e. columna Nebularum & regnis Ogi & Sihonis ſubiugatis, diripiebant. Iob. XLII, 12. Eſai. LX, 7. Ier. XLIX, 29. Ex. XXVII, 21. Num. XXXI, 32. XXXII, 1.

Indicauimus iam, quantum debuimus, Hortorum Heſpericorum veros poſſeſſores, vna cum Dracone eorum cuſtode, item & aurea mala, quae ibi paſcebantur. Haec omnia, quemadmodum quoad res circumſtantes ſingulas cum Arabia felici coincidunt, eam nullamque terram aliam Graecorum fuiſſe HESPERIAM nulli dubitemus.

CAP.

CAPVT III.

DE

TERRA HYPERBORAEORVM.

§. I.

Prima origo nominis Hyperboraeorum eſſe videtur vox עברים. Gen. XIV, 13. XXXIX, 14. XL, 15. XLI, 12. *Iberim*, ex qua ſenſim deduxere Graeci Iberiam, quae illis fuit terra Ebraeorum, quam Homerus Odyſſ. Z. v. 2. *Hyperiam Magnam* appellat, ab ὑπὲρ *trans*, Ebr. עבר. Vall. Flac. Arg. L. III. 730 eos vocat *Hiberos*: at ob Euphoniam huius gentis nomen in Hyperboraeos immutarunt. Vltra boream gentem ſibi fingere, abſonum erit: veri & genuini Iberi ſ. Hyperii & Hyperborei fuere Ebraei, quos & quidam Boreadas appellarunt. Diod. Lib. II. c. 42 huius populi patriam talibus deſcribit indiciis: *Hyperboraeorum dicitur peninſula, quae contra Galliam in Oceano ſita eſt, non minor Sicilia; Arctoi ſubiecta. Ibi Lunam eſſe conditam & gentem Deum Baal colere fertur, unde dictus Baal Borealis.* Euidentia haec ſigna nulli, excepta Ebraeorum, terrae aliae competere, facile eſt oſtenſu: nam I. *ſita erat contra Galliam* ſ. גלילה Galilaeam. Noua Gallia ab

eiectis

eiectis a Ioſua Galliae Orientalis ſiue Galilaeae incolis nomen certe deſumſit, adeo vt Gallia hodierna nominis originem traxit ab Ebr. גלל *Galal.* II. *Oceanus Hyperboraeorum fuit terminus*, Mare ſcilicet Mortuum ſ. Atamalchim, quod verſus orientalem plagam terminabat regionem Iſraëlitarum. Cfr. Num. XXXIV, 12. III. *Magnitudine Siciliam fere aequabat.* Cfr. Mappas Geogr. Anglia autem vel Scandinauia bis aut ter eam ſuperant amplitudine. IV. *Sita fuit ſubter Septemtrionem* ſ. צפון, qui locus quidam erat Aegypti terminis adiacens, ex quo בעל צפון *Baal Zaphon*, (Num. XXXIII, 7. Ex. XIV, 2) i. e. *Apollo Hyperboraeus*, cuius mentio ſaepius fit apud Prophetas, nomen duxit, qui, quod dolendum, ab Ebraeis ſumme colebatur. Fieri quoque poteſt, vt Graecis Aegyptii, a quibus omnia ſua habuere antiquitatis monimenta, anſam dederint, Iſraëlitas vocandi Hyperboraeos, quum, reſpectu ad Aegyptios habito, trans Aquilonem ſ. צפון עבר habitarent, *quaſi Ebraei vltra aquilonem.* V. *Luna in terra Hyperboraeorum fuit condita Luna*, nulla alia eſt quam vrbs *Iericho*, in Graecam linguam tranſlata; quod etiam ex Pauſan. in Arcad. conſtat, dum narrat, *Archos ſ. Archadas in Arcadia* (quae Archo, filio Canaanis, fuit ſubiecta. Ien. X, 17.) *Luna antiquiores fuiſſe incolas*: h. e. Arcadiam prius inhabitarum, quam vrbs Iericho fuit condita. VI. *Terram Hyperboraeorum peninſulam* appellat Diodorus. Vide Mappas Geogr. & Num. XXXIV, 1. &c.

§. II.

§. II.

Qui ad vocis tantum ſignificationem attendit, Hyperboraeos noſtros fuiſſe populares, qui Septemtrionales incolunt plagas, facile exiſtimaret. Verum ipſa natura a noſtra parte pugnat, vt, qui Hyperboraeos in Boream reiiciunt, ſimul etiam Terrae nobis parem exhibeant fertilitatem. Quis ſanus eam ſoli vbertatem Sueciae affingit, quam Hyperboraeis tribuit Diod. L. II, 47? Ille ita: *ſolum illic optimum fertur & fructuoſum optimeque temperatum, ac propterea bis in anno meſſis fit.* Cfr. Mela L. III. Plin. L. IV, 12. Solin. c. 26. quod tamen indicium Cananaeae applicari poſſe conſtat ex cap. I. §. 10. Leuit. XXVI, 4. 5. Idem Diod. ita quoque: *Pars ſupra Arabiam iacet, vbi duplices fructus vno quoque anno metantur.* Legatur etiam, qui hac in re inſtar omnium eſt, Maginus de Palaeſt. p. 233, & ſatis apparebunt Terrae fertilitas, gemina meſſis atque tres vnoquoque anno vindemiae.

§. III.

Hyperboraeae gentis originem adhuc nouo & peculiari charactere exprimit Solin. c. XXVI, *ex conſenſu*, vt aſſerit, *probatiſſimorum Auctorum. Hyperborei*, inquit, *incolunt pene πτεϱοφόϱον, quem vltra Aquilonem iacere accepimus, gens beatiſſima.* Ebraeos incoluiſſe terram prae ceteris beatam patet ex Sap. XII, 7. Ez. XX, 6. Ier. III, 19. qua autem ratione frigida noſtra Septemtrio hoc nomine inſigniri poſſit, fatemur nos fugere. Vltra vero Zaphonem iuxta mare rubrum Inſulam veram Beatorum ſ. tribum Aſſer comparuiſſe, ſupra demon-

ſtraui-

ſtrauimus. Vox Pterophoros (a πτερὸν *ala* & φέρειν) regionem denotans *penniferam* & *plumatam*, tranſlata eſt ab Ebraeorum אֵבֶר *Ala*, *penna*, *pluma*. Cfr. Ez. XVII, 3. Pſ. XCI, 4: de qua terra ridicula habet Herodotus L. IV, quod videlicet *oppleta eſſet plumis in aëre volantibus*, i. e. Ebraeis. Quum autem haec terra plumata illi mira ac abſona viſa ſit, veram hiſtoriam in fabulam commutat, & a *plumis niuem* ſibi fingit: qua ratione, quum nix plurimis regionibus inueniatur, omnia fere in toto orbe regna forent Hyperboraea. Nos vero, omnia vi diſtorta argumenta reſpuentes, veritatem ſectamur & Pterophoron eſſe *regionem plumatam*, prout ipſa Etymologia innuit, contendimus.

§. IV.

Haud obſcurum quoque ex viciniis *montis Riphaei* (de quo ſup. C. I. §. 13) argumentum offertur, quo euincimus, Hyperboraeos fuiſſe Iſraëlitas. Mela l. c. *primi*, ait, *Hyperboraei in Aſiatico litore ſuper aquilonem Riphaeosque montes ſub ipſo ſiderum cardine iacent*. Cfr. Plin. L. IV, 12. Nouimus Aſiam ad mare vsque mediterraneum pertingere, ad cuius litus ſita eſt Palaeſtina, in qua non tantum Baal Zephon l. Apollo Borealis, ſed etiam montes inueniuntur Riphaei; (vt iampridem Cap. I. §. 15 oſtenſum eſt) item & Graecorum & Latinorum *Cardo* ac *Axis*, vbi Atlas humeris coelum ſuſtinuerit, quod factum eſt, dum Iſraëlitae Arcam foederis & Coelum portarunt Gilgalem, Ioſ. IV, 19. 20. V, 2. 1 Sam. X, 8. גלגל enim eſt *Rota* & *Axis* a גלל *voluit*, *vertit*. Porro, quum etiam Orpheus teſtetur, *Pontum Hyperboraeum*

eum-

eumdem eſſe ac Mare Mortuum in Palaeſtina, Cfr. C. I. §. 14, ſine difficultate inde dicere poſſumus, Hyperboraeos in Canaanea habitaſſe.

§. V.

Domicilia & tentoria ſub arboribus in campis atque lucis habebant Ebraei, qui mos illis, prae ceteris in orbe gentibus, fuit proprius. Habitabat diu Abrahamus in *luco Mamre*, Gen. XIV, 13. XVIII, 1., Debora ſub *Palma*, Iud. IV, 5, Saul ſub Malogranato, 1 Sam. XIV, 2. Ionas ſub *Ricino*, Ion. IV, 6. Immo *omnis Iſraël & Iuda ſecure quisque ſub vite ſua & ficu ſua habitabat a Dan vsque ad Berſchebam:* 1 Reg. IV, 25. Mich. IV, 4. Sach. III, 10. Itaque vocabatur *pecus hereditatis Dei, habitans ſolitarie ſiluam in medio Carmel.* Mich. VII, 14., quod etiam vt praecipuum quoddam Hyperboraeorum viuendi generis ſignum affertur a Solino, Mela & Plinio l. c. ita: *Domus Hyperboraeis ſunt nemora & luci, & eis in diem arbores victum ſubminiſtrant.* Qui talia de Septemtrione noſtro fingere ſatagit, frigore hiemali & ſterilibus arboribus facile refutaretur. Firma igitur perſtabit res, Hyperboraeos עבר צפון ſeu Ebraeos fuiſſe eamdem gentem, quum, praeterea, quae attulimus, vitae etiam huius populi diuturnitas veritatem nobis vindicet. Strabo & auct. cit. *Hyperboraei*, aiunt, *mille annos viuere dicuntur; ſaltim diutius, quam vlli mortalium;* quae omnia ad Adamum, Methuſalem & alios de ſtirpe Abrahami ortos referuntur. Miracula quoque innumera & ſtupenda, quae Deus coram Iſraëlitis ediderat, a ſcriptoribus commemorantur: hinc Plinius l. c.

inquit,

inquit, *Hyperboraeorum gentem celebratam fuiſſe miraculis*, de quibus & tantis reliquus terrarum orbis haud ſibi gloriari poteſt.

§. VI.

Tandem in gente Hyperboraeorum demonſtranda *rariſſima beatiſſimaque moriendi ratio* haud parum nobis inſeruiet. Solin. c. XXVI. Mela L. III. & Plin. l. c. *mortem*, aiunt, *non niſi ſatietate vitae epulis delibutosque ſenes luxu ex quadam rupe in mare ſalientes inuaſiſſe. Hoc genus ſepulturae beatiſſimum.* Huius mortis exempla ſunt Moſes & Aaron, qui ambo hoc beatiſſimo obitu defuncti fuere & a Deo ſepulti. Deut. XXXIV, 1. 5. Num. XX, 25 - 28.

§. VII.

Inuentis iam Hyperboraeis, *Abarim*, Ducem ſatis celebrem, quaeramus, oportet, quem Iul. Firm. de Error. Prof. Relig. *Auarum* & Ariſtoteles *Barin* appellat. Eſt haec vox *Abaris* gentilis ab Ebraeo עִבְרִי, *Ebraeus.* Filii Iſraëlis Ebraei, vt notum eſt, dicebantur, apud quos mons fuit *Abarim*, in quo Graecorum Abaris vita exceſſit. Num. XXVII, 12. Deut. XXXII. Quod vero famoſiſſimus hic Abaris *Moſes* ſit Ebraeus, ex vtriusque rebus geſtis & hiſtoria, mire congruentibus, manifeſtum eſt. Et, vt rem ab ouo ordiamur, *Sagitta Abaridis* primum tenet locum, de qua Herodotus L. IV, 36 plurima & egregia congeſſit. Scilicet baculi huius, diuinatoria arte praediti, ope Abaris *Terram Orientis peragrauit; hoc viae duce maria & fluuios, & inuids ſolitudines transiuit; per hunc oracula edidit, per ignes transiuit, lunam*

e coelo traxit, & denique terram & inferos aperuit. Haec non alii cuidam applicari poſſunt, quam Moſi eiusque baculo, quo potiſſima ſua miracula, iubente Deo, ediderat: Cfr. Exod. IV, 2. VII, 1. VIII, 2. X, 22. XIV, 21. IX, 23. 27. It. XIX & XX cap. Num. XX, 10. XVI, 1. 22. Hab. III, 9. 11. adeo vt, nos ignorare, candide affirmemus, vbi terrarum talis baculus, ad portenta edenda aptus, vmquam reperiretur. Rex ille Suecus *Habor* nomine quidem indicat, eum forte de ſtirpe Ebraea fuiſſe; allata vero Hiſtoria nullo modo rebus illius geſtis conuenit.

§. VIII.

Memorabile eſt, quod de Abari refert Iamblichius, nimirum, *eum apud Phalaridem* (Pharaonem) *tyrannum ob parrheſiam & libertatem Oraculorum in ſummum fuiſſe vitae diſcrimen adductum, ſed ope ſagittae euaſiſſe.* Nam indurato cum Pharaone poſtquam altercatus fuerat Moſes, *ab eius ore expulſus eſt*, Ex. X, 1., qui & poſtmodum ingenti cum exercitu Moſen perſequebatur: immo & vltima ſane fata expertus fuerat, Ebraeus ille Abaris, niſi, ſcipionis ope aperto mari, inſequentem hoſtem feliciter euaſiſſet.

§. IX.

Addit Herodotus l. c. peculiare quid & ab humanitate alienum de Abaride, nempe, *quod nihil comederit*; quod ieiunium partim ex eo explicari poteſt, quod ſola Manna veſceretur, partim ex ieiunio eius quadrageſimali in monte Sinai. Iul. Firmin. l. c. factis inſuper Abaridis addit; quod *Argonem* & *Palladium Mineruae* confecerit, quod

cum

cum Aegide & Arca foederis idem eſſe autumauerim. Proſapia & genere *Scytham* eum fuiſſe, (vnde Abaris Scytha dictus) paullo infra oſtendemus. Iam tantummodo obſeruabimus, ſcripta eius & editos libros eiusdem eſſe argumenti ac Moſis Pentateuchum. Etenim I. fuit eius Θεογονία ſ. Genealogia & Origines Deorum, i. e. Patriarcharum, ortus mundi & Hiſtoria tam ante quam poſtdiluuiana, a Moſe in Geneſi compoſita. II. Επωδαὶ ſ. Miracula, quae in Exodo referuntur. III. Χρησμοὶ i. e. Lex Diuina a coelo publicata, quae a cap. XIX. Exod. ad finem Deut. legitur. IV. Καθαρμοὶ, Luſtrationes ſ. expiationes populi, de quibus Leuiticus praeſertim agit, quique diuinas caerimonias expiandi Iſraëlem exhibet. V. Απόλλωνος ἄφιξις εἰς ὑπερβορέους, de ſcortatione Ebraeorum cum Baal, quae traditur Num. XXV, 3. &c. VI. Γάμος ἕβρου τοῦ ποταμοῦ, de Matrimoniis & Conſanguinitatis vinculo inter Ebraeos. Leu. XVIII, 6 &c. Haec fuſius omnino explicaremus, niſi ſuperuacaneum videretur, rem noſtram vlterius exponere clariſſimis iam vindicatam argumentis.

CAPVT IV.

DE CAMPIS ELYSIIS ET BEATORVM INSVLA.

§. I.

Quo magis campos Elyſios celebrant Poëtae, eo magis eoque clarius Terrae Cananaeae beatitatem nobis monſtrant. Et, ſi quae regio *beatae* nomen mereatur, certe iſta fuit ſola, quae in Graecam vocem ἤλυσιν, ſecundum clauem Solonis, quam in C. I. huius opellae memorauimus, ab Ebraeorum עבר *Eber*, 1 Reg. IV, 24., eſt translata: vtraque enim vox, vt eruditis ſatis conſtat, vnam eamdemque rem denotat, *tranſitum* ſcilicet & *adgreſſum*, Ebraice עָבַר, vnde עברי Iberi, Geneſ. XXXIX, 13. XL, 14. Ex. I, 15. Ier. XXXIV, 9. & Graece ἤλυσις ab ἔρχεσθαι. Hinc *Campus Elyſius* vi vocis eſt הארץ עברית *Terra Ebraeorum*: & ne quis dubitet, vocabula Elyſius & Eber ex vno fonte eſſe ſumta, eruditorum argumenta adducere poſſumus, quae probant,

Ebraeos

Ebraeos ſuam denominationem non deſumſiſſe e *tranſitu* Abrahami trans Euphratem, ſed ex *Ebero*, cuius mentio fit Geneſ. X, 21. 24, quod etiam ita affirmat Euſtathius in ſchol. ad Odyſſ. IV. *Campus Elyſius dictus eſt a viro quodam venerabili Elyſio*, Ebraice Eber.

§. II.

Peculiare itidem campi Elyſii eſt indicium, quod affert ex Poëtis Nat. Com. L. III, 19, cum monet, *alios contendere campum Elyſium eſſe circa Lunam*, quam fuiſſe vrbem Ierichuntem capite praecedenti indicauimus; Ebraei igitur ſiue Elyſii campi ſiti erant iuxta hanc vrbem. Addit Nat. Com. *quidam campos Elyſios non procul a Columnis Herculis ponunt, vbi Kades eſt.* Ab hac quoque parte nos ſtamus, ſi vox Amoraei columnas & Gadira ſ. Gades Kadem ſignificent, de qua re ſupra.

§. III.

Situs campi Elyſii haud parum clarus euadit ex Euſtathio Schol. ad Odyſſ. IV. Ita enim ille: *Campus Elyſius eſt iuxta Oceanum & fines terrae: hic etiam inſula beatorum dicitur* —— —— *iuxta Mare extremum* i. e. *Oceanum ipſum* —— *oppoſitus Gadirae.* Antea argumentis euicimus, *Heſperiam* eſſe Arabiam, *Mare extremum* סוף & האחרון, vide cap. praeced. §. 3., & *Gadiram* ſ. Gades Kades; vnde perſpicuus euadit terminus & limes Elyſii in Ebraeorum terra. Arabiam appellatam fuiſſe *fines terrae*, concludimus ex Matth. XII, 42. Luc. XI, 31. eam *Eſchatiam* vocat Stephanus, a קצוצי Caſuſi translatam, qui deſerta Arabica verſus Cananaeam inhabitauere. Ier. IX, 26. Caſuſaeos in-

terpretatur Arias Montanus per *Etremificatores*, alii per *habitantes in extremo mundi angulo.* Cetera, quae in robur huius argumenti afferri poſſent, habentur cap. II. §. 8.

§. IV.

Elyſium fuiſſe Beatorum *Inſulam* vulgo tradunt Poëtae, cfr. Virg. Aeneïd. L. VI. Nat. Com. l. c.; quod nomen iuſto merebatur titulo reſpectu Tribus Aſſer dictae, de quo ſuo filio Lea Geneſ. XXX, 13, *beata*, ait, *mihi, nam beatam me praedicabunt filiae, ideoque vocauit nomen eius Aſſer*, i. e. beatitudinem. Hinc Eratoſthenes apud Strabon. L. XVI hanc tribum Arabiam *Arabiam Beatam* appellat, *quam Iudaei & Syri habitarunt.* Porro *Beata* dicta eſt ob ſoli fertilitatem, quam deſcribit Euſtath: l. c. *In illo* (campo) *animae beatae & laetae vitam agunt.* De Iacobo Bileam Num. XXIII ita: *Nullus in Iſraële labor & aerumna*, vide etiam 1 Reg. IV, 6. Sic de Elyſio canit Ouid. Met. L. I. 111.

Flumina iam lactis, iam flumina Nectaris ibant;
Flauaque de viridi ſtillabant ilice Mella.

Eximiae huius terrae dotes ſaepius in S. S. depinguntur. Exod. III, 8. 17 appellatur *terra bona & ſpatioſa, quae melle & nectare fluit.* Quanta Elyſii abundantia ſoli, amoenitas, beatitas incolarum, multis depraedicant antiquiores Vates, quorum teſtimonia, vt eruditis ſatis nota, omittimus. Omnia, quae de illa regione dicuntur, optime ad Cananaeam referri poſſunt. Etenim *omnium terrarum fuit decus*, Ezech. XX, 6. *Hortus Iehouae.* Geneſ.

neſ. XIII, 10. *Terra Bona* Deut. III, 25. IV, 21. Eius vbertas & beata indoles deſcribitur Num. XXIV, 5. 1. Reg. IV, 20. Lev. XXVI, 4. 13. Deut. VII, 13-15. VIII, 7. XV, 4. XXVIII, 3 &c. *Palaeſtina clementiſſimo gaudet aëre & corpora hominum ſalubria gignit. Nec frigore nimis riget: nec calore torretur. Rari in ea imbres; ſed tamen vber ſolum;* vt habet Maginus de Palaeſt. p. 233. 6.; & Strabo L. XVI. *in hac ſola terra Balſamum creſcit, & varia Aromata iuxta lacum Geneſaret.* Huius Regionis thura odorifera & Aromata &c. ſufficienter exponit Diod. Sic. L. II. 48. 49. Lib. III. 49. Odor tantum, quo fragrabat Elyſium, vbi ſitum eſſet, ſatis indicare potuit. Digna, quae adducantur, ſane ſunt verba Hom. Odyſs. IV.

Sed te ad Elyſium campum & fines terrae
Immortales mittent — — — —
Vbi facillima viuendi ratio eſt hominibus.
Non nix, nec hiems longa, nec umquam imber,
Sed ſemper Zephyri ſuauiter ſpirantes auras
Oceanus emittit per amoena vireta.

His omnibus in ſummam collectis, non poſſumus non concludere, regionem Beatam, ſi vmquam exſtiterit, non aliam eſſe potuiſſe, quam hanc noſtram Cananaeam. Nec facile quiſpiam ab hac Beatorum Inſula ad aliam tranſitum faciat, niſi ex euidentiſſimis teſtimoniis aut parem aut maiorem ſibi polliceri poſſit beatitatem.

CAPVT V.

DE
AMAZONIBVS.

§. I.

Multa de Amazonibus fuit lis, nec in hunc vsque diem ſincera prodiit veritas. Petitus Gallus peculiari tractatu femineum hoc imperium orbi vindicauit, qua autem felicitate, iudicent ſani. Certe, ſi auctorum veterum effatis ſtandum, res dubia euadit; ſi vero rationibus pugnandum, a natura penitus abhorret omnis caelebs & ſine meliori ſexu trunca euadit reſpublica. Producat licet orbis vniuerſus ſuas viragines & virginitatis illibatae in mortem vsque ſtupenda miracula; vnum tamen vel alterum continentiae exemplum protinus nobis integras non complet reſpublicas. In diuerſas partes litigant eruditi: vide Val. Flac. L. VI. 603. Strab. L. II. p. m. 384 & Freinshem. in not. ad Curt. L. VI, 5 &c. Quum vero hanc Hiſtoriam recte tradiderit nemo, non mirum ſit, me, Amazonas Iſraelitarum fuiſſe paſtores, exiſtimare, quibus eximii prorſus erant armentorum greges.

§. II.

A nomine primum petimus argumentum, quod non a *Mammis abſciſſis* (ab ἀ priu. & μάζα mamma) habue-

habuere, vt vult Iuſtinus: naturae enim diſplicet ſaeua haec interpretatio, quum ne furibundo quidem homini tribui poſſit tanta immanitas, multo minus virginibus, quae tenerrimo afficiuntur ſenſu. Verum *Amazon* vox eſt pure Ebraica ab עם *Am* populus & צאן, *Zon*, grex; Geneſ. XLVI, 32. 34. XLVII, 3., vbi Iſraëlitae רעה צאן *Roe Zon* dicuntur, i. e. *populus*, *qui pecora paſcit*, qui eadem etiam lingua appellatur עם צאן Amazon, adeo vt Graecorum Amazon ſit Ebraeorum עמצאן, quae vox legitur Mich. VII, 14. *Paſco* עמך צאן נחלתך h. e. populum *tuum*, *pecus hereditatis tuae.*, & Pſ. LXXVIII, 52. LXXX, 2. LXXVII, 21. עמך כצאן. Iſraëlitas ſemper vna cum maioribus ſuis ac poſteris paſtoritiam vbique egiſſe vitam, notum eſt a Hiſt. Moſaica. De Amazonum gregibus multa referunt Graeci. Diod. L. III. 53 ita: *Accedit huc copia armentorum, caprarumque & ouium greges, quarum lacte & carnibus ſe nutriunt.* Plura vt afferamus documenta tam clara in re, opus non eſt. Patriam vbi habuerint indigitat Diod. l. c. *Inſulam eos habitaſſe fabulantur, quae, ad Veſperam iuxta Tritonidem ſcilicet paludem ſita, Heſperiae nomen reportauit.* Νῆσον eſſe Zionem, *Heſperiam* Arabiam, & *Paludem Tritonidem* Mare Mortuum circa Gilgal, antea oſtendimus; vnde ſatis apparet, Amazonas prope Arabiam habitaſſe circa lacum Asphaltitem in Zione. Addit peculiarem characterem Diodorus, ſcilicet *Amazonas accolas fuiſſe fluuii Thermodontis, ad cuius oſtium condidere amplam & regiam vrbem, nomine Themiſcyram:* & L. III. c. 53. eamdem vr-

bem *Cherſoneſum* vocat: *in ipſo*, ait, *Tritonis lacu vrbem condiderunt, cui a figura Cherſoneſi nomen impoſitum.* Thermodoron in Pontum infrugiferum Heſiodi ſ. Mare mortuum influit: nomen huic fluuio eſt a calidis in fluuio Dan ſ. Iordane aquis, Hieronymo teſte: Zaſa & Callirohe *eaedem ſunt, vbi calida illa aqua in mare* influit: & Plin. L. V. 16. *verſus partem meridionalem lacus Aſphaltitis ſunt Thermae & ebulliens fons, dictus* Callirohe, *a praeſtanti & ſalutifera aqua.* Ita Ioſephus Ant. Iud. L. XVII. 8 de hac re: *Iordanem tranſit & Thermis iuxta Callirohe, quae in Aſphaltitem influit, vſus eſt.* Cfr. Ioſeph. Bell. Iud. L. I. 21. Plin. L. V. 15. Solin. c. XLVIII. Hinc Graecorum Thermodoron, confectum ab Ebraeo Dan vel Ieordan, *fluuium Dan* denotante, & Graeco θερμὸς, *calidus*; vnde Thermo-Don eſt aqua calida ſ. Thermae ſitae iuxta Iordanem & mare mortuum, quod a Diodoro aliisque Graecis *palus* nuncupatur *Tritonis.* Cfr. C. I. §. 4.

§. III.

Amazonum vero Regia Vrbs a ſitu vocabatur *Cherſoneſus*, Graece translata ab Ebraeo *Zione*, inſulam ſignificante ſiccam, ſabuloſam ac altam, vt de Palaeſtina habent Maginus & ceteri. Huius autem vrbis *nomen officii* erat Themiscyra, compoſitum a תמם *Tamam*, abſolutus, integer, perfectus fuit (vnde תם & תמים *Temim* l. Tummim integritas, perfectio. Exod. XXVIII, 31. hinc etiam *Themis*, Graecorum Dea iuſtitiae) & קריה *Kyrah*, vrbs, ciuitas. *Ad latus ſeptemtrionale Zionis eſt Kyrah.* Pſ. XLVIII, 3. h. e. vrbs Ieruſa-

ruſalem. Cfr. Ioſ. I, 21. Prou. XI, 10. Ierem. XLVIII, 22. Itaque Themiſcyra notat *Vrbem iuſtitiae* Ierem. XXXI, 23. L, 7. Ebr. VII, 2., quae & nomine & re ipſa fuit ſancta Hieroſolyma. Pſ. CXXII.

§. IV.

Neque Graecos fugiebant Amazonum i. e. Iſraëlitarum aduentus & per Cananaeam vsque ad terminos Syrorum circumlata arma. Pſ. LXXVII, 21. Diod. L. II. 46. in relatione ſua ita pergit: *tum expeditione in alteram fluminis regionem inſtituta, magnam Aſiae partem ſuae ditioni adiunxere armorumque robur extendere vsque ad Syriam.* Et Lib. III, 55. *initium belli factum eſt in Atlantas.* (i. e. in Atlantica ante aduentum Iſraëlitarum degentes) *Bello etiam Arabibus illato, multos interemerunt, ſubactaque iam Syria,* (regna ſcilicet Ogi & Sihonis, & Cananaea) *Cilices cum muneribus illis occurrunt, ad iuſſa faciendum parati.* Hi Cilices Gibeonitae erant, Ioſ. IX, 3. nomen enim eorum deſumtum eſt ex גבע & גבעה *collis*, vnde גביע *ſcyphus, calix*, Gen. XLIV, 2. & גבעון, *Gibeon*, Heuaeorum Metropolis, pari ratione ac Graecorum κύλιξ, a κυλίω voluo, a quo κιλικία deriuatur. Narrat porro idem Hiſtoricus, *Myrinam Amazonum Reginam, debellatis ab illa nationibus Tauricis, robore corporis & animi valentibus, per Phrygiam deſcendiſſe vsque ad Mare magnum. Iam Gadol* ſ. mare Mediterraneum idem iam eſt ac antea fuit, nimirum terminus Iſraëliticae regionis verſus Occidentem. Num. XXXIV, 4. *Phrygia* erat terrat exuſta, vbi quinque vrbes olim ſteterint, quae vna cum

So-

Sodoma triſti incendio deletae erant. *Taurus* vero ille erat in Arabia locus, per quem peragrarunt Iſraëlitae, ſcilicet שור & תור, latine *Taurus*, Ex. XV, 22. 1 Sam. XV, 7. XXVII, 8., quod nomen poſtea impoſitum fuit Monti in Septemtrionali Aſiae parte. Amazones, referente Diodoro, a תור *ſ. tauro* in Arabia ad reges Og & Sihon deueniunt, quibus domitis, totam Palaeſtinam occuparunt vsque ad mare mediterraneum. En iam prodibit vera illa *Maiſa*, eiusque bellicae expeditiones apertae euadent. Moſen veteres feminam fuiſſe falſe putarunt, vt Suidas in Lex. ex Alexand. Polyhiſtore, item & Diodorus, dum hoc loco eum Reginam Myrinam appellat: conueniunt tamen quoad vocum notiones. Aperte conſtat, Graecum Moſen heic deriuaſſe a משח *Oleo vnxit*, Graece Myrina, a μύρον *vnguentum*, oleum, q. a. μύρω fluo; hinc μυρίζω inungo.

Porro Diodorus: *tum Atlantidum terras bello adortae, apud Cercenem, ſuperarunt.* Hi Atlantae filii ſunt Iſraëlis, qui Cananaeam antea incolebant & inuadebant Aegyptum; iam vero reuerſi illam occupabant terram, quam & Maiores eorum tenuerant & Deus illis iamiam dederat. Primum in hac expeditione Cercenem ſubiugarunt, a Κέρκος *praeputium*, Ebraice ערלת *Aralotb*, ab ערל *praeputium habuit.* Haec fuit illa ſatis celebris regio, quam in Canaane primum pedibus tetigit Ioſua, qui totum Iſraëlem apud Iordanem ſ. Gilgalem circumcidit. Ioſ. V, 3. *Deinceps*, ait Hiſtoricus, *Gorgonum terras manu inuaſit, quam gentem fruſtra penitus exſtinguere conatur, cum Gorgonum*

etiam magna potentia fuerit, donec ad extremum & ipſae Gorgones & gens Amazonum internecione deletae ſunt. Γοργὼ eſt *terribilis*, pariter ac הרפאים *Rephaim.* Igitur Rabb. Bechai in Deut. II. *Rephaim appellantur, quia ille, cui illos videre contigerat, pauore conſternatus manus remiſit.* Etiam *Emim* אימים ſignificat *terribilem.* Rab. Salomon ad Num. XIII, 28. & Deut. IX, 2. *Enakim*, ait, *eſſe Gigantes, qui propter corporis proceritatem horrendi vocabantur.* Hi fuere illi Gorgones, cum quibus Amazones ſeu Iſraëlitae dimicarunt. Philiſtaei vna cum immani iſta beſtia Goliath ex genere Enakim in Gaza, Gath & Asdod permanſere, Ioſ. XI, 22, diuque adeo potentes fuere, vt eos exſtirpare Iſraël haud valuerit; vide Lib. Iudic. & Samuel.: tandem & Amazones & Gorgones & Philiſtaei ſolo fuere expulſi.

§. V.

Inter facinora Amazonum omnium praeſtantiſſima celebratur apud Graecos templum in toto orbe terrarum decantatiſſimum, Epheſinum ſcilicet, quod & maximum fuit & magnificentiſſimum orbis miraculum, cui exſtruendo, memorante Plinio, DCC annos impenderat tota Aſia. Haud vero fieri poteſt, vt Epheſinum fanum ſtructurae magnificentia ſuperare poſſit Hieroſolymitanum.

Teſtis eſt Lucianus de Dea Syria, *nullum Templum eo magis eſſe, quod in Iera vrbe*, i. e. Hieroſolyma, *habetur.* Vocem *Epheſus* Graecos decepiſſe & a vera ſeduxiſſe vrbe videtur, in qua Amazones vna cum Aſia minori hocce condidere totius orbis miraculum. Etenim *Epheſus dicta eſt ex* ἀφίημι,

ἀφίημι, *permitto, retribuo, concedo, quod illam terram Amazonibus retribuerat Hercules*, h. e. Diuina Maieſtas, vt ſcribit Heraclides de Politiis. Si vocem ἄφεσιν ad ſuos fontes reducamus, res plana erit. שלם eſt *remittere, reddere alicui quod ſuum eſt*, hinc שלמן *retributio*, Graece ἄφεσις. Ioſ. I, 8., & nomen שלמה *Salomo*, Iſraëlitarum rex, a quo Templum vocabatur Salomonis, (Graece & Latine fanum Epheſinum) cui moli perficiendae laborem & operam nauarunt 183300 homines, turba ex Aſia minori collecta, 1 Reg. V. VI. 2 Chron. II, 17. Dum vero Plinius narrat DCC annos eos huic operi impendiſſe, *Lunares*, h. e. Aegyptiacos, intelligit, cfr. ſupra C. I. §. 2., qui annos efficiunt XVI & ſemi Solares, & fere coincidunt cum illo tempore, quod aedificando Templum domumque ſuam inſumſit Salomo 1 Reg. VI, 38.

§. VI.

Obſeruandum vltimo eſt, nihil tam frequens eſſe apud Orientales, quam *Societates* hominum & *Ciuitates* vocare *filias, virgines* ac *mulieres*. Cfr. Ioſ. XVII, 11. Iud. I, 27. Gen. XXXIV, 1. Num. XXI, 25. Ioſ. XLVII, 1. Ez. XXIII, 1. &c. Rauanellus ergo in voce Virgo §. I. n. 2. *Notum eſt*, inquit, *quod ea ciuitas & regio ſuam virginitatem ſeruare dicatur, quae armis numquam occupata fuerit, illa vero vitiata, quae ſecus*, & mox: *praecipue Virginis nomine deſignari videntur regna, gentes & ciuitates, quae fama, dignitate & diuitiis florent*, vt *Zion*, Sach. IX, 9. Amos V, 2. *Tyrus*, Eſ. XXIII, 12. *Aegyptus*, Ierem. XLVI, 11. Hinc

factum

factum eſſe videmus, quod Graeci eas, quae virgines & mulieres appellabantur, re vera ſexu femineo eſſe crederent. Cfr. Stephan. in Acarnanes. Palaephat. de incredib. Euſtath. Il. I. Vario igitur modo ſe torquent Amazonum rempublicam femineam indagaturi, fruſtra tamen, & contra omne rationis & naturae praeſcriptum. Praeterea Hiſtoria Biblica, profanae coaeua, talia ignorat regna mulierum. Quod vero ad ea attinet, quae noſtrates de his ſcripſerunt, facile omnino refelli poſſe exiſtimauerim.

§. VII.

In Hiſtoria Iſraëlitarum memoratur, regnum eorum in binas partes diuiſum fuiſſe; pari ratione vere narratur de Amazonibus earumque reipublicae diuiſione, de Reginis *Marteſia* & *Lampeta*. Iuſtin. L. II, 2. *Marteſiam* a Marte ducit, qui *fortis* ac robore valens eſt *Athleta*, quique Aegyptiace eſt translatus a voce Iſraël, idem ſignificante. *Lampeta* nomen habet ἀπὸ τοῦ λάμπειν, a *celebritate* (λάμπω enim & λαμπρὸς eſt glorioſus, illuſtris, celebris) vt *Iuda* eſt a ידה *celebrauit, glorioſum reddidit & ſplendidum.* Aliud quoque nomen tributum fuit cuidam Amazonum, nimirum *Aorpata*, ita lingua Scytica, Amazonum vernacula, dicta, teſte Herodoto L. IV. c. 110, ab עור *Aor*, virilis membri pellicula, & פתח aperuit, emiſit, denudauit, adeo vt Aorpata ſit idem ac *circumciſus.* Plato Lib. VII. de Leg. ait, eos quoque vocari *Sauromatas*, alii Sarmatas, corrupto, vt videtur, a Samaritis nomine. Aliud & nouum adhuc nobis ſupereſt documentum, ex quo colli-

gere licet, Amazonas Iſraëlitas fuiſſe; dicuntur enim, *Animum nubendi amiſiſſe finitimis*, i. e. iure iurando ſeſe obſtrinxiſſe, ne filias ſuas cuidam ex profanis nuptum darent, neque filios vxores ducere peregrinas permitterent. Nehem. C. X, 30. XIII, 3. 25. 27. Ioſ. XXIII, 7. 12. 13. &c.

§. VIII.

Haud a vero abludere videtur, *Aorpatam* (circumciſum) peculiari quadam affinitate iunctam eſſe cum Minerua a מן *Min*, magis & ערוה *Aruah*, nuditas pudendorum. Leu. XVIII, 6. 7. Minerua igitur denotat *praeputio circumciſum*: qui mos apud Iſraëlitas vnice in vſu fuit, ſiue in Aegypto, ſiue Canaane vel Colchide habitabant, teſte Ieremia IX, 25. *Omnes gentes circumciſae ſunt: omnis vero domus Iſraëlis praeputiata corde.* Nomine *Palladis* quoque nota eſt Minerua, eiusque terra *Pallene* appellata, a πάλλειν & πάλη lucta; quae vocabula cum Atlante & Iſraële quoad vim vocis conſpirant. Sic mores praecipui & nomina Amazonum, quaenam fuerint, indicant quam euidentiſſime.

CAPVT VI.

DE PALANTIBVS SCYTHIS SIVE PROFVGIS ISRAELITIS.

§. I.

Etſi nomine noti ſatis ſunt Scythae, eorum tamen vera ſtirps & origo haud patet. Plurimae Hiſtoriae eos commemorant multaeque gentes ſuos tanquam populares amplectuntur; vnde vero in Aſia primum fuerint diſperſi, & quo modo potentia eorum atque celebris fama eo inprimis tempore dilatatae fuerint, quo eaedem regiones ſumma ſub Chaldaeorum, Aſſyriorum, Medorum, Perſarum Graecorumque poteſtate erant, fugit fere omnes. Mihi autem videtur, celebratiſſimos Scythas Tribus eſſe Iſraëliticas, quae, poſt Salmanaſſaris tempora, in orientalibus plagis diſſipatae fuere atque, Cyro licet permittente, patrias ſedes iterum occupare noluerunt, ſed nouis incolis vaſta & inhabitata deſerta atque boreales terras locupletarunt. Quod enim ad ipſam denominationem attinet, incaſſus forte eorum labor eſt, qui

eam Septemtrionalibus ex linguis deriuare ſtudent, quum hae poſt tot annos indolem faciemque toties mutauerint. Itaque vox *Scythia*, cum coaeuis antiquiſſimis linguis comparata, ex שבטי יה *Sivte iah*, cfr. Pſ. CXXII, 4. Gen. XLIX, 28., noto omnino per omnem ferme orientem & in Sacro Codice Iſraëlitarum titulo, deriuanda eſt, denotatque *Tribus Dei*, eadem ratione ac Graeci etiam more ſuo, a Solone palam facto Cap. I, 1., vnanimiter Scythas vertunt per Νομάδας, a Νομὴ *Tribus*, & ἀλίζοντας, ab ἀλία, idem notante; itaque vna mecum teſtantur, Scythas cum שבטי יה poſſe conciliari. Eam ob rationem populus hicce Dei nuncupabatur *Tribus Domini*, quod, *liberorum* inſtar, eos ſuſceperit ipſe Deus & Iſraëlem *ſuum* tamquam *filium*, Ex. IV, 22. Ierem. XXXI, 9. 20. Oſ. XI, 1. Syr. XXXVI, 14; vnde Diod. L. II. c. 43. refert, *Scytham Iouis eſſe filium*, qui Ioua, ſ. Deus, a Graecis Hercules item ob columnas illas conſpicuas dictus eſt. Clarius autem adhuc in ſequentibus Scytharum prodit originem Herodotus Lib. IV. c. 8. *Hercules tandem in terram deuenit, quae Hylaea dicitur, ibique cum quadam virgine concubuiſſe fertur, ex qua ſuſceperat tres filios*, Aganthyrſum, Gelonem & Scytam, *& ab hoc vltimo, qui in Hylaeo remanſerat, dictam fuiſſe Scythiam.* Terra Hylaea, Scythicarum gentium ſedes, Graece ὕλη & ὑλαῖος, *cocti cibi* ſiue *potus faex*, dicitur, a voce שמרים *Samarim* verſa: Ieſ. XXV, 6. Pſ. LXXV, 9. Ierem. XLVIII, 11., vnde Samaria nomen trahit, quae a quibusdam per *faecem* interpretatur. *Virgo* autem, horum filiorum

rum

rum *genetrix* & ſimul patrius locus, ad Poëtarum & Orientalium genium ita ab Herodoto Lib. II. deſcribitur: *Scytharum mater ſupra vmbilicum Virgo fuit, infra vero vipera;* quae fabula ita eſt explicanda: *vmbilicus* mons eſt *Thabor* in Galilaea, Ioſ. XIX, 22., Ebraice טבור (Hieronymo & Rabbinis *Vmbilicus*), ſupra quem ad Libanon vsque בתולה ישראל *Virgo Iſraël*, (vt vniuerſa haec terra audit apud Ier. XVIII, 13. XXXI, 4. 21.) ſedem ſuam habuit; infra vero Thaborem, verſus Ierichuntem ac Gibeam, ſuperſtitum erat Heuaeorum regio, Ioſ. IX, 3. 7., quorum nomen חוי Hiuui *viperam* ſignificat, de qua denominatione haec refert Clem. Alexandrinus in Protreptico: *Accurate ſectantes Ebraicae vocis ſignificatum,* EVI, *cum H ante poſito, viperam ſeu ſerpentem feminam denotat.* Huius ope virginis, vel vt Graeci volunt, hac in terra Ioua-Hercules tres ſuos filios educandos curauit ſingulos. Primus *Abrahamus* erat, ob probatam fidem & olim & poſtea quoque *Agantbyrſus* appellatus, ab ἄγαν *valde* & θάρσος *fiducia*, cfr. Gen. XV, 6. Syr. XLIV. Rom. IV, 20. Ebr. XI, 17. Alter *Iſaacus* fuit, ita a *riſu* dictus, Gen. XXI, 2., Graece *Gelo*, a γελάω. Tertius שבטי *Scytha*, ſiue Iſraël ſuis cum tribubus; qui Hylaeam longo tempore inhabitabat, teſte Qu. Curtio L. VII. c. 7. *Scythica gens non procul abeſt a Thracia*, (a θρασὺς fortis, Ebraice אבר Eber, vnde Thracia Graece, eſt terra Ebraeorum Hebraice) *quae neque illi finitima eſt, ſed Sarmatia* i. e. Samaria. Aliud huic genti, ante natum Scytham, fuiſſe nomen, Diodorus Lib. II. c. 43 ita narrat:

narrat: *hic populus multis prius gentibus imperabat, quam communiter Scythae appellabatur;* anteanamque שבטי Siueti & Tribus Iſraëlis nuncupabantur.

§. II.

Huius gentis antiquitas noſtram etiam opinionem firmat, qua aſſerimus, Scythas Iſraëlitasque eundem fuiſſe populum. Haec apud Iuſtinum Lib. II. 1. verba habentur: *Scytharum gens antiquiſſima ſemper habita: quamquam inter Scythas & Aegyptios diu contentio de generis vetuſtate fuerit.* Itaque haud procul a ſe inuicem diſſita fuit vtraque haec gens. *Scythas in Aſiam principatum per MD annos tenuiſſe,* accurate ſecundum Graecos Iuſtinus computauit, nimirum ab aduentu Abrahami in Canaaeam, dum bellum cum IV regibus gerebat, Gen. XIV, 1., ad Alex. Magnum, reginam Thaleſtrem qui expulit. Namque, ſi ad calculum haec reuocemus, ab ingreſſu Abrahami in Canaaeam ad egreſſum Iſraëlitarum ex Aegypto quadringenti atque triginta numerantur anni, Gal. III, 17: inde ad conditum Templum Salomonis anni quadringenti ſeptuaginta nouem effluxere, 1 Reg. VI, 1: inde ad primum imperii Nebucadnezaris annum quadringenti ſeptem, (cfr. Krokii Calend. 1706.) quos ſequuntur LXX anni captiuitatis Babelicae ad Cyrum vsque. Porro, CVI annos numerat Tertullianus, qui tempus, quo Perſica Monarchia floruit, complectuntur; inde ad certamen Alexandri cum Thaleſtre VIII anni circiter fuere praeterlapſi, qui ad Graecorum & Iuſtini calculum MD annos efficiunt.

§. III.

Scytharum ex Aegypto diſceſſus atque in Cananaeam introitus eiusmodi cum rebus circumſtantibus a Graecis exponuntur, vt, illos Iſraëlitas eſſe, quiuis agnoſcat: ita Iuſtinus Lib. II, 3. *Primus Scythis bellum indixit Vexoris, Rex Aegyptius, — — — — Scythas ab Aegypto paludes prohibuere: inde reuerſi, Aſiam perdomitam vectigalem fecere — — — quindecim annis pacandae Aſiae immorati.* Vexorin hunc Diodorus *Buſirin*, qui Pharao erat, appellat; palus vero aut *Rubrum* aut *Mortuum mare* denotabat, cui illa confinis erat regio, quam Abrahamus, Iſaacus & Iacobus antea incoluere, iam vero ſua ſub ditione redegere Scythicae hae tribus, nulla quum gens Aegypto quondam eſſet propior. Intra XV annorum ſpatium Cananaeam ſubiugarunt: namque a finito per deſertam ſolitudinem itinere, quod octo per luſtra durauit Num. XIV, 33. 34., ad terrae partitionem quinque anni interceſſere, Ioſ. XIV, 7. 10; atque abhinc ad Ioſuae mortem X anni, a quo tempore XL annis a bello vacabat haec terra, Iud. V, 31. cfr. Krok. Calend. MDCCVI Period. IV.; qui omnes, collecti in ſummam, anni ſunt quindecim. Hanc porro bellicam expeditionem his verbis & circumſtantiis deſcribit Iuſtinus c. IV. *per factionem optimatum domo pulſi, ingentem iuuentutem ſecum traxere; & in Cappadociae ora, iuxta amnem Thermodonta, conſederunt, ſubiectosque Themiſcyreos campos occupauere. Ibi per multos annos ſpoliare finitimos aſſueti, conſpiratione populorum per inſidias trucidantur.* Moſen atque

Aronem acrius Pharaoni obſtitiſſe, illosque deinde extorres ab Aegyptiis fuiſſe factos, Ex. XI, 1. 3., ex Hiſtoria notiſſimum eſt, quae etiam expulſae huius turbae numerum, Num. XXII, 35., eiusque in totam Arabiam ad Euphratem dominatum, vsque dum Salmanaſſar atque Nebucadnezar hunc populum captiuum abduxerant, 1 Reg. X, &c. diligenter exponit: quod vero ad locos, Thermodontem & Themiſcyram, attinet, de illis ſupra ſatis dictum eſt cap. V. §. 2. 3. qui loci heic per vocem *Cappadociam* vberius explicantur, a κάππαρις, *ſpina* & δέχεσθαι *tenere*, (cui reſpondet Ebr. שמיר Samir *ſpina*) deriuandam. Probe obſeruandum eſt, Ebraicam hanc vocem multis ſane abundare ſignificatibus, vnde factum fuit, vt illam vnus Graecus eodem vocabulo non expreſſerit, ac alter: quod voci etiam Samariae accidit, quae & *faecem* & *ſpinam* & *cuſtodiam* denotat: poſteriorem τοῦ שמרון interpretationem adhibet Herodotus, dum ita L. IV. c. 8. *Hercules, Geryonis vaccas agens, in hanc peruenit terram, quam nunc Scythae incolunt & Graeci Inſulam Erythiam vocant contra Gades extra columnas Herculis atque Oceanum.* Erythia namque ab ἐρύω, *cuſtodio*, eſt; ibique ſunt Kades, Herculis columnae & Oceanus, vt antea eſt oſtenſum.

§. IV.

Modum, quo Scythicorum Iſraëlitarum imperium duas in partes poſtea diuiſum fuit, vlterius indicat Iuſtinus: *medio*, ait, *tempore duo regii iuuenes Ylinos & Scolopitus, per factionem optimatum, domo pulſi, regnum diuidebant.* Aliis verbis

idem

idem refert Diodorus Lib. II. c. 42. *a poſteris eorum duo extitere fratres, virtute eximii, quorum vni* PALI, *alteri* NAPAE *nomen erat: hi poſt multas res praeclare geſtas regnique partitionem alios Palos alios Napos de ſe nominarunt.* Haec regni diuiſio tempore fiebat Rechabeami: Iſraëliticum regnum tum Graece *Palas*, a πάλη, vt antea obſeruauimus, dictum erat, vnde ad hunc vsque diem Palaeſtinae venit nomine. *Napa* vero Graece eſt Νάπη, Lat. *Tuber, prominentia collis*, atque reſpondet τῷ יהודה, a ידה *eminuit, promanauit*, vnde יד *manus, brachium*, vt Trogus & Iuſtinus annotarunt; atque vni Scytharum regno nomen ὠλένου *brachii, manus prominentiae ad cubitum*, impoſuere, illud Ylinos vocantes. *Scolopitus* autem, a Σκόλος, *aculeata ſpina*, & ἀψὶς, *carcer, cuſtodia*, vocis, quam ſaepius commemorauimus, *Samariae*, Iſraëlis domicilii atque ſedis regiae, eſt interpretatio.

§. V.

Deaſtrorum ad cultum ne deflecterent Iſraëlitae, omne cum exteris gentibus ſanguinis vinculum illis Deus interdixerat, vt ex Diuina lege abunde patet; hoc idem, argumenti inſtar, c. IV. affert Iuſtinus, quo, Scythas ab Iſraële ortos eſſe, probare vult; dum enim Scythas Amazonasque eiusdem eſſe originis aſſeruit, ita, vtramque gentem depingens, pergit: *horum vxores, cum viderent exſilio additam orbitatem, arma ſumunt: finesque ſuos, ſummouentes primo, mox etiam inferentes bella, defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omiſere; ſeruitutem, non matrimonium appellantes.* Ita minime fucatam Iſraelitarum hiſto-

 riam

riam ſiſtit variaque ad eam pertinentia tradit: nimirum, Iſraëlitas ab Aegyptiis fugatos eſſe; copiarum ſuarum in ſolitudine iacturam funditus feciſſe; debellatos ac deuictos fuiſſe Ogum, Sihonem, Cananaeosque; coniugia cum Midianitis aliisque profanis interdicta illis fuiſſe, vt paganorum deorum ſeruitus, cui talis profana affinitas anſam ſubminiſtrauit, euitaretur. Hinc, ad quos haec Scytharum monimenta pertineant, palam ante omnium oculos eſt.

§. VI.

Quoties Scytharum ſinguli terram inuiſerint, *ab Aegypto duabus paludibus*, mortuo nimirum rubroque mari, *ſeiunctam*, accurate c. III. & V. hunc in modum exponit Iuſtinus: *imperium Aſiae ter quaeſiuere* —— —— —— *tertia autem expeditione Aſiana, cum annis octo a coniugibus & liberis abfuiſſent, ſeruili bello domi excipiuntur. Primam* in Aſiam *expeditionem* auſpicabatur atque ducebat Abrahamus in Chaldaea degens, Gen. XIV, 1. *alteram* Ioſua & *tertiam* Serubabel. Annos quidem male computat paganus hic Hiſtoricus; ad bellum vero quod attinet, a Iudaeis cum dedititiorum coloniis geſtum, quas ſub imperio Rehum & Thathnai in Samaria ſuperſtites reliquerat Salmanaſſar, illud ſatis commemorauit Eſra c. IV & V. &c.

§. VII.

Iſraëlitarum Scytharumque victum quaerendi ratio mirum quantum conſpiret. *Lacte, quod multi eorum greges illis ſuppeditabant, potiſſimum veſcebantur, temperantiae ſtudioſi; neminique iniuriam vmquam inferebant,* teſtibus Iuſtino & Diodoro

l. c.,

l. c., vnde Amazonae dicti, ſeu *populus greges paſcens*, Gen. XLVI, 32. 34. Cfr. c. V. Et ne quis fumum nos vendere putet, a Diodoro noſtrae opinionis probationem, eamque firmiſſimam, petamus, qui L. III. c. 32. narrat, *Scytharum Tribus vniuerſas praeputium circumcidiſſe.* Aliam gentem nullam, ſi a Scythis diſceſſerimus, pelliculam amputaſſe, adeo notum eſt, quam quod notiſſimum. Quae enim de Aegyptiis Colchicisque tradit Herodotus, de Iſraëlitis ſolis, qui quadringentos per annos in Aegyptia degebant, Gen. XV, 1., intelligenda ſunt. Hinc quoque mos penes illos poſt deportationem Babylonicam, circa Pontum palantes, in vſu fuit, vnde Herodotus recte coniicit, *vtrumque hunc populum ſanguine inter ſe eſſe iunctum.* Circumciſione nullas vſas fuiſſe nationes, euidentiſſime etiam indicat Ieremias c. IX, 26. Nullum nobis negotium ea faceſſunt, quae Marshamius, qui ſibi ipſi peracutus eſſe videtur, aliique contra haec adferunt, pagana auctoritate, male intellecta, ducti: quae quidem in ſe & ſua natura a veritate non abhorret; illorum tamen iudicii acumen eluſit.

§. VIII.

Haud parum firmamenti ac roboris opinioni, qua Scythas Dei populum fuiſſe euincitur, affert huius gentis *vitae integritas* atque *iuſtitia.* Aeſchylus apud Steph., Curt. L. VII, Homer. Iliad. V., & Iuſtinus L. II. c. 2. *hanc in toto orbe iuſtiſſimam nationem* celebrant. *Vbi vero terrarum tantae celebritatis gens inclaruit? Quae adeo probis moribus ac inſtitutis umquam floruit, ac Iſraëlitica?* Deut.

 IV, 8.

IV, 8. *Ipſe* enim *Deus Iacobo ſua annunciat oracula & Iſraëli iuſſa; ea vero aliis gentibus non nota fecit, neque illis inſtituta ſua patefecit.* Pſ. CXLVII, 19. 20. ceterae ergo iniuſtae Deaſtrorum erant cultores. Rom. I. Solus Iſraël *legi Diuinae* obtemperabat, quae eorum lingua תורה audit, a ירה, *arcum* vel *fundam iacularem* ſignificante; vnde euenit, vt Tribuum Iſraëliticarum *ſanctiſſima legum obtemperantia*, vocis *Iarah* triplici ſignificatu, in Scytharum *iaculandi artem* mutata fuerit. Haud tamen negandum eſt, Iſraëlitas huius artis fuiſſe peritiſſimos, vt ſatis ſuperque ex Iudic. c. XX, 16. conſtat.

§. IX.

Quanta inter omnes *ſapientia* excelluerint Scythae, teſtantur Hiſtorici, Poëtae & Bon. Vulcanius in dedic. Iornandis. Eo magis haec diuino populo conueniens erat, quo Graecis primam occaſionem, Parnaſſum, Helicona, Lyceum, Olympum, Mineruam, Apollinem Muſasque fingendi commemorandique obtulere, quae apud Iſraëlitas viguerunt, iudicii ingeniique magnitudo, ſcripta aliaque ſapientiae monimenta. Quantum ſtupendi in *ſcribendi artificio* lateat, penſitantes, cum Nierenbergio de S. S. orig. facimus atque conſtanter aſſerimus, nullam *literam* ſcriptionemue ante vmquam extitiſſe, quam iuſſa ſua lapideis tabulis Deus inſculpſiſſet, atque in Sinaitico monte animo intuenda ſpectandaque velut primum propoſuiſſet viuarum, vt dicuntur, vocum mortuae imagines mentisque cogitatarum muta imitamenta. Itaque dum huius inuenti gloriam *Muſis* Diodorus, *Phoe-*

niciis Lucianus, Curtius, Mela, *Aſſyriis* Plinius, *Syriis* Gellius, *Aegyptiisque* vindicarunt, ad vnum idem ſenſere omnes; Iſraëlitas nimirum, ab Aſſyria oriundos, in Aegypto hoſpites, Phoeniciam, Syriae finitimam, habitantes, genuinas eſſe Muſas, quae terrarum orbi reliquo hanc artem impertiebant. Si huius opellae limites ita ferrent, contra Waſmuthum haud difficili negotio probare poſſemus, poſt editam demum legem ſcripta illa exſtitiſſe, quae memorant Num. XXI, 18., Ioſ. X, 13 & Iobi XIX, 23. 24. Ad *Parnaſſum* ergo me conferam, cuius nominis origo ex Orientalibus deriuanda eſt fontibus; dicitur namque פרנס *Parnes*, de quo Caſaubonus in Not. ad Perſium ita loquitur: פרנס Parnes *idem apud Syros valet ac νέμειν*, & פרנסין, Parnaſin, *paſtores*; *vnde Parnaſſus*. Addit Bochartus Hieroz. L. XI, 44., *Parnaſſum montem fuiſſe gramine abundantem*: in eiusmodi collibus ſuos Cananaei paſtores greges paſcebant; hinc Chaldaeus interpres vocem רעה, Ez. XXXIV, 23, per פרנס, vt vitam Iſraëlitarum paſtoritiam plenius indicaret, transtulit. Synagogarum Antiſtites quoque Parnaſin, h. e. paſtores Diuinae Scientiae, compellantur; vnde Parna-Bazus, Parnas-pes, Olo-Pernes.

Olympum quoque in Chittaeorum terram transponere tentarunt Graeci; haud vero facile credi poteſt, profanae adeo genti *Diuinum* fuiſſe *habitaculum*. Hoc modo eruditiſſ. Suidas in Lexico hanc vocem explicat: OLYMPVS, ait, *aedem Dei ac domicilium ſignificat*. Alii, Poëtae inprimis, Olympum per *Dei coelum* explicant: quem locum Nat.

Comes

Comes Myth. L. II, 1. ita indigitat. OLYMPVS LYSIVS *ille eſt locus, quem in Arcadicis Pauſanias, montem ſacrum fuiſſe appellatum, refert;* quod nomen Zionis ſoli monti adſignat Sacra Scriptura, Pſ. XV. Ier. XXXI, 23. &c. Neque hac a ſententia aberrat Stephanus de vrbi, *Olympiam eandem ac Heſperiam eſſe* ſ. Arabiam, cfr. c. II., dicens, vbi ſitus erat Sinai, tonitribus fulminibusque, dum lex ederetur, expoſitus; quam ob rem Olympum Poëtae fulguribus circumdatum ſemper fere delineant. Collocata vero arca in monte Moria, *Olympus* appellabatur *Lyceus*, Pſ. LXXVI, 2. 3. Eſai. XXXI, 9. Ier. III, 17. XIV, 21. XVII, 12. Vox *Olympus* Graeca non eſt, vt eruditi autumant; ſed pura puta Ebraica, ab אולם, 1 Reg. VI, 3., פה & יה, h. e. *Dei domus, habitaculum*, vt Suidas eam quoque eſt interpretatus; *Lyceus* autem eſt a λύκη, *lux*, Ebraice מאור & מאורה *Mora* & *Moria*, Gen. I, 14. 15. *Olympius* igitur *Lyceus* recte vertitur per *Dei domum ſ. aedem in monte Moria; Helicon* vero, quoniam ab ἕλη, *lux*, deriuetur, ſapientiae, qua eadem Moria gauiſa eſt, faſtigium indicat, Graeca licet verſione aliter interpretatus.

Ad Iſraëlitas pertinere *Mineruam Pallademque*, antea euicimus; hisce vero ſapientiae Antiſtitibus adiunctus eſt *Apollo*, Orientali vtpote eruditione clarus, quem nomine Baal coluit Iſraël. *Muſae* igitur vnice ſuperſunt, quarum denominatio ſeruata omnium primo inuenitur in Moſe, *Muſaeo* etiam dicto, *qui rerum omnium ab vnico Deo ductam originem primus nouit deſcribere*, teſte Lactantio Inſtit. L. I. Notiſſimas quoque has Muſas reddidit Muſita-

Muſitarum gens, ita a *Muſi*, Leui nepote Ex. VI, 19., appellata, quae ſplendidae arcae curam geſſit, e qua in praeſtantiſſima ſua ſapientia illos ipſe Deus erudiebat. Vox quoque Ebraea מוסר *doctrinam* ſignificat. Muſarum patriam aliam fuiſſe nullam ac Iſraëlitarum terram, ex his Euripidis verbis in Medea v. 824 oſtendimus: *O! quondam felix Deorum in ſancta terra progenies, genuina educata ſapientia, vbi Solis colorem referens Harmonia nouem Muſas enixa eſt.* Nullibi terrarum diuina progenies, Sacra Regio, puriſſima Sapientia atque Harmon, ſolis colore ſuperbiens, reperiuntur, ſi Canamaeam excipias, vbi Chamat, a Cham ſeu חמם, ſolis ſpeciem ibi ſitis Harmonis montibus inducebat. Ibi quoque nouem erant Muſae ſeu Academiae, in quibus, arcae ſuorumque ſapientum Vatum adiumento, mortalium animos ad immortalem ſapientiam informabat Deus; nimirum *Gilgali*, Ioſ. V, 9. 10., *Sinai*, Ex. XL. 2. 34., *Kades Barnaeae*, Deut. I, 2. 5., *Siloni*, Ioſ. XVIII, 1., *Gibeae*, 1 Sam. VII, 1. *Zioni*, 2 Sam. VI, 16., *Betheli* 1 Sam. X, 3., *Abeli*, 2 Sam. XX, 18. 19. & *Kiriath Sepheri*, Ioſ. XV, 15. Iud. I, 11., quae loca, ſi per anguſtos huius libelli limites fieri poſſet, cum Graecis verſionibus conciliaremus.

§. X.

Graeci porro palam nobis fecere Scytharum Legumlatores, literarum item Religionisque inventores, Zeutam ſcilicet, Samolxin, Anacharſin, Dicenaeumque. Tempora, quibus hi vixere, adeo inuoluta tradunt Strabo, Herodotus, Laërtius & Iornandes, vt quatuor haec nomina vnico tantum

Viro,

Viro, peculiarem ob eruditionem, titulorum inſtar, inſignita eſſe, facile quisquam putet. Etenim hunc 1) Scythicas literas inueniſſe, 2) illarum ope in codicillis legem exaraſſe, 3) illius adiumento eorum religionem a ceterarum gentium moribus diſtinxiſſe, 4) denique in Aegypto, Phoenicia Scythiaque haec ſingula agendo commoratum fuiſſe, tradunt Hiſtorici Scriptores: quae ſpecimina atque indicia, peculiaria admodum, Moſen videntur indicare. Quid? quod *Zeuta* (quem Schefferus aliique, Aegyptiorum fuiſſe *Teutam* ſ. *Thautum*, exiſtimant) ac *Zamolxis* nómina ſua ab Ebraea lingua ducunt, Graece per Anacharſin ac Dicenaeum recte accurateque verſa. Etenim תוה, *Tavah*, eſt *ſcribere atque characteribus aliquid ſignare:* hinc תו, Tau, *ſignum* ſ. *character*, Graece *Anacharſis* a χαράσσειν, *characteribus quid inſculpere,* & χαρακτὴρ, *character*, *nota*, *ſignum*. Eum quoque *Zeutam* Graeci nuncupant a Ζεὺς, *Deus*, & Tau, *ſignum*; ſic vox *Zeuta* fit Graeco-Hebraea, *Dei ſcribam* ſignificans: cui deriuationi quodam modo Snorro Sturleſonius adſtipulari videtur, narrans, *Odinum* alio nomine GAVTAM *appellatum fuiſſe*, a Gud & *Tau*, cfr. c. VII. Hunc ſeu *alterum Herculem*, *Nilo extractum*, *literas Phrygicas inueniſſe*, referunt Cicero in Nat. Deor. L. III. aliique. Haec Phrygia a Taberae, Sodomaeque regionibus nomen deſumſit. Scriptor vero *Moſes* erat, alio nomine hanc ob rem Samolxis dictus, a סמל Saemael, *imago*, *ad ſimilitudinem alicuius effigiata*, & שיש ſchis, *columna lapidea*: igitur Samolxin per illum, *qui lapideis tabulis aliquid inſculpit*, interpretari

pretari poſſumus. Idem *Dicenaeus* Graece vocatur, a δίκη & νεὼς, ἀπὸ τοῦ ναίειν: ſic per *Iuſtitiae Hoſpitem* ſeu מחקק, Gen. XLIX, 10. exponitur; quem titulum nulli mortalium, ſi a Moſe, & per Aegyptum & per Phoeniciam notiſſimo; diſceſſerimus, tribuere poſſumus.

§. XI.

Vltima Scytharum ſors eiusmodi erat, vt Iſraëliticae Tribus exinde agnoſci poſſint quam certiſſime. Refert Diodorus L. II. c. 42.) *ex regibus illis*, qui Pali Napaeque regna imperabant, *tum alias cum duas maximas Colonias ex gentibus, bello ſubactis, deductas eſſe; quarum vna ab Aegyptiis in agrum, Paphlagoniae & Ponto interiectum, translata; altera ex Media ad Tanaim collocata fuit, cuius populi Sauromatae* (Samaritae) *nominantur*; quam rem meridiana luce clariorem exhibet Sacra Hiſtoria 2 Reg. XVII, 6., vbi haec verba habentur: *anno nono Hoſeae occupauit Rex Aſſyriae Samariam & abduxit Iſraëlem in Aſſyriam, eumque habitare fecit in Halath & Habor iuxta fluuium Giſon & in vrbibus Mediae*, cfr. v. 24.

§. XII.

Veniam, quam Cyrus Iſraëli concefferat, 2 Chr. XXXVII, 20. Eſr. I, 1. 2., ad ſuas redeundi lares, Gentilibus quoque, Scytharum tamen nomine, nota erat. De hac haec habet Curtius L. VII. *Legati deinde Abiorum Scytharum ſuperueniunt, liberi ex quo diſceſſerat Cyrus, tum imperata facturi, quos Barbarorum iuſtiſſimos fuiſſe conſtat.* Abii hoc loco, vt etiam apud Hom. Iliad. V. & Stephan. de Vrb., vocantur, ab ἀ intenſiuo & βία; h. e.

fortes;

fortes; idoneam ergo vocis אבר *Eber*, vnde Ebraei, interpretationem habemus. Propter eam, qua Graeca lingua pollet, vbertatem a Graecis Scythae *Neuri* a *νεῦρος*, *robur*, dicuntur, item *βασιλικοὶ* ſeu *Scythae Principes*; quae poſtrema appellatio a voce שר, *Rex*, *princeps*, *heros*, quae in vocabulo Iſraël continetur, deſumta eſt. Vltra ſunt Scytharum populi: Perſae illos Saras appellauere a proxima gente, antiqui Aramaeos, ſ. Syros, teſte Plinio L. VI, 17; quae haec Choerili in Xerxis Diabaſi verba forte explicant: *Sacici paſtores Scythae ſunt, qui Aſiam antea incolebant ortumque habent a gentibus profugis.* Per orientales regiones ſuis vna cum vxoribus, liberis, tabernaculis & gregibus longo temporum interuallo deinde palantes Scythae, multas tandem incolis locupletarunt terras, inter quas etiam dulciſſimam noſtram patriam Sueciam referimus.

CAP.

CAPVT VII.

DE
SVIORVM GOTHORVMQVE
A SCYTHIS
SIVE
EXTORRIBVS ISRAELIS FILIIS
ORIGINE.

§. I.

Indies licet illa coniectura increbuerit, qua ducti, primos Sueciae incolas a Iapheto & Magoge oriundos eſſe credidere quamplurimi: nullum tamen haec opinio robur a perantiquis ac notiſſimis ſcriptis petere poteſt, ſed & incerta, meo iudicio, eſt atque parum nobis honeſta. Suecanarum praeterea antiquitatum monimenta Cyri ante aetatem extendat nemo; aeque enim credibile videtur, gentem temperatiſſimum in Aſia ſolum cum terris, borealis frigoris immanitate rigentibus, permutaſſe, ac veritati eſt congruum, primos orbis habitatores remis veliſque atque magna feſtinatione huc contendiſſe, vt, nouitatis ſtulte auidi, ſolem diutius noſtrum ſupra Horizontem aeſtiuo tempore commo-

morantem intuerentur. Hanc igitur telluris partem vaſtam fuiſſe vacuamque, opinemur, donec Aſiatae, Odini auſpicio, huc migrarint, non loci iucunditate felicitateque ducti, ſed vi compulſi, ſuae vt desererent patriae oras ac dulcia arua linquerent.

§. II.

Haec vt explicatius proponamus, recordemur, neceſſe eſt, fieri non potuiſſe, vt Noachi filii, Gen. X, vno eodemque tempore totum terrarum per orbem ſuam diſſiparint progeniem, ſed *Chamum* primum, *Semum* deinde, denique *Iaphetum* ſummam attigiſſe poteſtatem, & fatetur ipſe Parens familias & teſtatur Sacra Hiſtoria. Quam primum deinde contigerat, vt vnus alterum de poſſeſſione ſedeque ſua deturbaſſet, & imperio ſubieciſſet, alios mox incolas deſerta vacuaque orbis pars nanciſcebatur. Hinc ſequitur, omnes poſt diluuium homines centum per annos circa Babel in terra Sinear fuiſſe commoratos ceterasque telluris regiones incultas. Gen. XI, 2. 3.

§. III.

Poſt confuſionem Babelicam CHAMVS, qui nefandam ob culpam fratrum ſuorum ſeruus euaſit, primis habitatae terrae regionibus ſua dedit nomina atque gubernatores. Sic *Miſraim* Aegypto, *Chus*, ſuis vna cum liberis Siba, Hauila, Dedane & ceteris, appellationem Arabiae impoſuere illique incolas ſubminiſtrarunt: & quoniam Chus *nigrum* ſignificet, a Graecis haec terra *Aethiopia* & *Libya* dicitur, a λιβὸς & αἴθιοψ, Ebraice כוש. In Sinear remanſit *Nimrod*, cuius res geſtas, ignotas licet

licet nobis, claras fuiſſe autumamus. *Canaani* ceſſit Palaeſtina. Horum dum quisque in ſua domi-nabatur, Semi & Iapheti progenies eodem, ac hi, domicilio fruebatur; in *Aegypto* ſcil. Iſraël, in *Arabia* Iochtan, Aſſur in *Sinear*, &c. verſabantur, ita tamen, vt neque nomen neque imperium alii cuidam genti impertiuerint, ſi Riphatum, Iapheti nepotem, excipiamus, cui Riphaei eorumque montes, Cananaeam inter atque Arabiam ſiti, debent originem. Atque illa aetate, qua Chamaea ſtirps quam maxime floruit, Sinear tantum, Cananaea, Arabia & Aegyptus populi frequentia affluebant, reliquus vero orbis, vtpote adhuc vaſtus, ab incolis vacabat.

§. IV.

Imperii deinde ſceptra tenente SEMO, extorris ſeruusque factus eſt Canaan. Etenim *Iacbetan* (cuius proaui Arphaxad atque Sala, itemque frater Peleg, nullam loci cuiusdam a ſe denominatiónem reliquere) ex Arabia Chuſaeos in Africam cis rubrum Mare ita fugauit, vt nonnulla tantum mancipia & nomina quaedam, his regionibus impoſita, ſuperfuerint. Hinc Aethiopiam duplicem finxit Hom. Odyſſ. l. 26. *vltima orbis gens eſt Aethiopia, in duas partita regiones, orientalem nimirum atque occidentalem.* Adeo vi atque armis Cananaeos Riphaeosque, Iſraëlis ope, Eberus compulerat, vt nouas deinde in hactenus inculta Europa quaerere ſedes neceſſum habuerint. Veriſimile quidem videtur, *Hamathaeum* Emathiae in Macedonia, *Archiam* Arcadiae, *Gilgallium*, Ioſ. XII, 23., Galliae, *Eglonitas*, Ioſ. XII, 12., Hiſpanias, (primum, vt nar-

rat Aſclepiades Myrleanus apud Strabon. Lib. III, Igleta dicta) nomina dediſſe: cum Italia, quae Heſperia antiquitus appellabatur, Arabes Og, Sihon & Riphat incolas communicarunt. Hinc patebit, Europam poſt mille demum a diluuio annos habitatam fuiſſe atque cultam. Increuerunt deinde *Lud* in Lydia, *Aram* in Syria, in Perſia *Aſſur* atque *Elam*, Nimrodaeam Sineariticamque ſtirpem ad Sinam vsque ſedibus ſuis pellentes; quae omnia initio Olympiadum Graecarum euenere; dum quoque tributum ab Iſraëlitis, quos Salmanaſſar captiuos poſtea abduxit, Aſſyriorum Belus ſeu Phul-Belochus imperauit. 2 Reg. XV, 19. Neque hos temporis limites potentiae gloriaeque auidiſſimorum Aſſyriorum imperium transuolare valuit. Hac tempeſtate Sina, Aſſyria, Syria, Lydia, Canaaea, Arabia, Aethiopia, Aegyptus, Macedonia, Graecia, Italia, Gallia Hiſpaniaque hominibus fuere locupletatae: ceterae vero adhuc vacuae.

§. V.

IAPHETVM tandem ordo tangit, dum Semi tuguria tentoriaque habitaret, ſubſeruiente Canaane; eaque aetate *Madai* Aſſyriorum, Chaldaeorum Elamitarumque regna ſua ſub poteſtate redegit, Dan. V, 31. in Graecia, ope *Eliſchae*, in Emathia per *Cittaeos*, in Cilicia per *Tarſchiſch*, in Gallia, *Rodanaeorum* adiumento, primas tenuit *Iauan*. Minorem Aſiam, auxiliante filio *Aſchena*, regnabat *Gomer*. In Suprema Carmaniae parte Septemtrionem verſus ſedem *Togarma* occupauit. Iaphetis vero reliquorum filiorum, Magogi ſcilicet, Tubalis & Meſcheſchi fata ad quintum vsque ſeculum,

praeter Deum, noſtrum cognouit nemo. Eiusmodi in claſſes gentes has ab ipſo Deo Ezechielis c. XXXVIII & XXXIX, Apoc. XX, 8. 10. XIII, 6. 7. 13. Dan. VII, 8. 20. 21., diſpoſitas inuenimus, vt inter has, Chriſtianorum infenſiſſimos hoſtes, Turcas reperire facile queamus. Itaque incunabula atque imagines ad hoc βδέλυγμα ἐρημώσεως & deteſtabilem colluuiem, absque dedecore, nullus Chriſtianae doctrinae ſectator referat.

§. VI.

Sicco, vt dicitur, pede illas iam praeterimus regiones, ad quas forte ſeſe contulit Semi ſtirps, huius a Iaphete occupatis habitaculis. Ad Iſraëlem vero quod attinet, in Media & reliquis terrae orientalis regionibus tamdiu incrementa cepit, dum libertate integra fruebatur, h. e., a Cyri tempore; at crudelius atque violentius Perſicis Graecisque Regibus imperantibus, ſuperſtites Iudaeos Indiam, quae ab illis ſuum forte cepit nomen incoluiſſe, mihi videtur haud abſonum. Cfr. Abel. Hiſt. p. 193. Iſraëliticae vero quaedam familiae ad Magnam Tartariam ſeſe conferentes hanc ingentem terram incolis non tantum locupletarunt, ſed & ob indies increſcentem populi multitudinem Americanas deinde, vt mihi quidem videtur, facto ſuper glacie itinere, inuiſere oras peregrinumque orbem. Ex hac Iudaeorum peregrinatione forſan petenda eſt illius cognitionis ratio, qua de Deo Eiusque Filio, mundi interitu & reditu mortuorum in vitam gauiſi fuere Americani. Quid? quod Ioſephi mentionem fecerunt Hurones; cantionibus ſuis illud Hallelu-jah adiunxerunt Suricoſienſes; prae-

putium amputarunt Iuchaſani; Mexicani Sabbathum, Iubilaeum variosque Leuiticorum ritus celebrarunt &c. Cfr. Hülſeman. de Aux. Gratiae p. 145. Pheiffer. Antimelancho. Part. I. cap. 28. p. 1017. Huetium Dem. Euang. Prop. IV. c. 6 & 7. §. 7. Ol. Dapperum. Quidam in Aegyptum, vt Ieremias teſtatur, tendunt, Africae vaſtas ſolitudines habitaturi, Deut. XXVIII, 68. Ier. XLIV, 1. Alii Theben ac Lacedaemona petunt, quarum altera a Diuina Arca תבה *Thebbah* nomen ducit: altera, a λακίζω & δαίμων deriuanda, *Dei diſiectum populum* deſignat; quae Graecis quoque dedere occaſionem, profugos commemorandi Heraclidas, Cfr. Abel. p. 699, qui, reſpectu ad nouum commorandi locum habito, Iudaeorum ſe fuiſſe fratres, 1 Macc. XII, 6. 7. 21, certo iureque aſſerere potuerunt. Neque legumlator Lycurgus, (Moſes forte) vtilia illis & educationis & vitae inſtituta praeſcribens, tenuem illis gloriam peperit. Verſus Euphratem ad boreales plagas peregre etiam euntes Iſraëlitarum haud pauci, in DANIA SVECIAque remanſere, quos celebratiſſimos noſtros eſſe aborigines, rationibus confirmare conabor, quarum

I. *ab* ASITARVM *in Sueciam aduentu peto.* Vno ore antiquiſſimae noſtrae fabulae fatentur, primos, qui his in terris conſederunt, Europaeos non fuiſſe, ſed Aſiatos, vnde Aſitae dicti. Aſiaticae vero hiſtoriae monimenta a vetuſtiſſimis inde temporibus euoluentes, nullam vnquam coloniam, praeter Scythas ſ. profugos Iſraëlitas, feraces temperatasque, Aſiae regiones deſeruiſſe ſeque ad frigoribus rigentem Septemtrionem contuliſſe, inuenimus.

Iam

Iam Graeci eruditi, praeeunte Eſra, atque Herodotus lumen nobis praeferunt, qui L. IV. c. 13. v. 40. haec refert: *decem Tribus, quas, regnante Hoſea, e patria aliam in regionem cis fluuium Rex Aſſyriorum Salmanaſſar abduxerat, decreuerunt, vt a gentium omnium commercio atque conuerſatione abſtinerent inque deſertam prouinciam proficiſcerentur, quam antea nemo incoluerat: atque ibi verum Deum ea colerent ratione, cui, ſua in terra degentes, aſſueti non erant. Recta via Euphratis verſus ſcaturiginem curſum ſuum dirigebant. Aquas, illis tranſeuntibus, peruias fecit ipſe Deus. In aliam inde terram, Har-Scareth poſtea vocatam, tendebant, ibique, iter poſt vnum atque ſemi annum emenſi, conſederunt.* Probe heic tenendum eſt, iter hoc a Perſia ad Euphratem vsque verſus boream Sueciamque eos tandem duxiſſe; &, hanc profectionem ſesqui anno quum transegerint, oras noſtras hi aduenae ſuis vna cum vxoribus, liberis ac ſupellectilibus commode attingere potuere. Appellabatur deinde terra, teſte Eſra, *Har-Scareth*, ab הר, *montoſa*, id eſt talis, quae noſtra eſt; ideoque illud *Har* adhuc ſuperſtes eſt in *Har-dal*, *Har-manger*, *Har-bo*, *Har-as* &c. *Scareth*, a שרת *Scheret*, *veri Dei cultum* denotat; ſic Harſcareth eſt *mons miniſterii*, ſiue *montoſa regio, ſancti Dei cultui dedicata*; exinde antiquiſſima Veſtro-Gothiae vrbs *Scara* & nomen & officium adhuc retinet. Tota praeterea *Suiogothia* peninſula eſt, cuius ſitus teſtatur, hoc שרת apud nos in voce Skår adhuc ſuperſtes eſſe: namque Skår cum inſulam, tum religioni dicatum ſacratumque locum, ſignifi-

 cat,

cat, vnde antiqua illa Deorum monimenta apud Verel. Her. Not. I. p. 33. Skur⸗Gudar audiant. Vlterius addit Eſra, quod *X Tribus, noua iam tenentes domicilia, priſtinam Deum colendi rationem mutarent:* illae nimirum, vt & Iſraëlitarum ceteri per quadripartitium orbem vagantium, circumcidendi morem aliosque Leuiticos ritus mitterent, ita tamen, vt alborum equorum amictu fruentur, *qui Diuinum ſpiritum ſuper illos borealibus in terris quieſcere permittebant.* Zach. VI, 8. Septemtrionem non prius hi Aſitae habitarunt, quam bello ac ſeruitute otia eorum turbarunt Aſiatici Reges atque Alex. Magn. vt Curtius L. VII. c. 7 indicat: *Abii Scythae*, i. e. Ebraice Tribus, *liberi fuere, ex quo diſceſſerat Cyrus*, &c. Tanto hoc illis inſolentius euenit, vt, Aſiaticas relicturi ſedes, Septemtrionis petierint deſerta.

II. *Nomen* SVITIA non ſolum Ebraeum eſt, ſed & a voce *Scythia*, quae & *Sithi* quondam dicebatur, temporis tractu factum; Graecorum tamen Σκύθια ab ipſo fonte שְׁבָטֵי, vt ſemet appellarunt Iſraëlitae ipſi, longius abeſt, quam *Suit* & *Suitia.* Neque opinari poteſt quisquam, priſcam Sueciae appellationem *Sitham*, cfr. Chron vet. manuſc. *Suitham*, *Suithiamque*, tanto temporis interuallo, totque diuerſarum linguarum regionibus permeatis, minores lenioresque paſſam fuiſſe viciſſitudines. Aſſerimus, Suitiam optime conſpirare cum Ebr. שבטי *Siveti* & שבטי יה *Siveti-iah*, i. e. *Tribus Dei*, Pſ. CXXII, 4., quae duodecim fuere numero: quem numerum apud nos item ſacrum fuiſſe habitum, XII populi Duces probant. cfr. Ex. XVIII,

25.

25. Num. II, 7. Gen. XLIX. Hinc Snorro Sturles, in vita Olau. refert, *duodecim viros ſacrificiorum fuiſſe Antiſtites.* In Chron. Vet. Suec. apud Meſſenium c. V haec habentur: *duodecim natu maximorum atque ſpectatiſſimorum miſit Odinus, qui & ſacrificationes adminiſtrarent & iudicium exercerent: his,* DIAR ſ. Drottar *dictis, populus obtemperaret.* Narrat quoque Rolfii Krakii fabula L. XVI, *Adilae, Salano Regi, duodecim fuiſſe Berſerkas, qui, tanquam propugnatores, illi adeſſent regnumque a bello ac ſeditione defenderent.* Tales quoque erant *XII Rolfii Krakii & Regis Haldani Duces,* quos Gotrici fabula commemorat. Et hos duodecim primipilos tanta religione antiquitus coluere Suitiorum tribus, vt ab Epiſcopo Folcone, Chriſti doctrinam in Suecia propagaturo, id poſtularent, vt *in Cathadrali Templo Vpſalenſi duodecim Antiſtites retineret.* Cfr. Ol. Rudb. Atl. T. I. p. 202. Suecia praeterea ab ipſis incunabulis in duodecim regiones partita erat, ſuam vt quisque duodecim Tribuum, quae ibi conſederunt, imperaret. Quid? quod *duodenarium & teſtium & Aſſeſſorum numerum,* cum iudicium haberetur, ante poſcebant priſcarum legum tabulae, quam decreta debita pollere poſſent auctoritate. Neque vero Diuinae Tribus hac in terra, poſt aduentum ſuum, huius numeri oblitae ſunt: hinc probamus, Regni noſtri nomen *Suitia* a שבטי יה deductum eſſe; ad quod alludit Vates Micha c. VII, 14. dum, *paſce;* ait, *populum tuum* בשבטך (in Siueta tua) *gregem hereditatis tuae, qui ſolus deſertam peruagatur ſiluam.*

Noſtras ad Iſraëlitas natales eſſe referendas probamus

III. *ab antiquiſſima Deorum*, quos olim coluere maiores noſtri, *appellatione*. Iſraël licet non niſi *vnicum Deum* agnoſceret; Ille tamen multis in Sacro Codice nominibus celebratur, quae in tres claſſes partitus eſt Hieronymus ad Marcell. Ex his titulis multa quidem idola effinxere paganae, tum per borealem orbem regnantes, tenebrae; initio vero vnum tantum Numen venerantes Suiogothi, tot huic vnico tribuere nomina, quot in Illo ſuſpexere potentiae ac virtutum ſpecimina. *Odini* nomen, Optimo Maximo attribuendum, celebratiſſimum fuiſſe, antiquiſſimae hiſtoriae referunt. Hic auſpicio ſuo Aſitas has in terras introducens, Potentiſſimus fuit Deus אדון *Adon*, Ier. I, 24. Pſ. XCVII, 5., ſeu אדני *Adonai*, Pſ. II. 4., quem recentiores hiſtoriae, per ignorantiam, Veneficum eſſe clamitant, *diuerſam quum ſpeciem ac figuram ſaepe induerit; ſimul & ſemel & abeſſe potuerit & adeſſe; ignem delentem atque vaſtantem, verborum ope, emittere; per mare viam ſternere; ventorum violentiam compeſcere; defunctos in vitam reuocare; baculo aliisue corporibus atque Elementis aliam dare figuram; tellurem, lapides, petras, ſepulcraque, ſermone ſuo diſcindere.* Hinc Arngrim. Ionae in lit. ad Steph. teſtatur, Odinum dictum fuiſſe Allmegſte As, (omnipotentiſſimum) Snorroque Sturles., antiquorum more illum appellans *Deum Deorum omnium*, haec habet: *Odinus ſuis vna cum Diis Septemtrionalem huius terrae partem occupans multa ſtupenda opera atque artificia edidere; omnium*

vero

vero praeſtantiſſimus erat Odinus, a quo artes didicere ceteri - - - ideoque, prae ceteris, ab omnibus multum colebatur. Cfr. Konunga Sag. c. I, 2. Alterum Deo impoſitum nomen erat OL ſeu AL, de quo ita Saxo L. III, *Ol quoque Aſitarum fuit Deus - - - cui etiam Odini nomen tribuunt*: id certe eam ob cauſſam, quod duobus his titulis vnicum tantum Deum venerarentur. Hunc Edda L. I, 11. *Al* nuncupat: *Oden*, ait, *appellatus eſt* Al-Fader; *Deorum enim omnium eſt parens eiusque filius eſt As-Thor*. Ebraeae originis eſt illud OL ſiue AL, idemque valet ac אֵל, nomen Summo Optimoque Deo potentiae ob documenta inſignitum. Quem maiores noſtri hoc ſub nomine intellexerint, his indicat verbis Saxo: fertur, *Alum mirifica adeo opera edidiſſe, vt comminante verbo Mare increpare potuerit; tantaque eius minae polluerint efficacitate, vt hisce vterentur etiam nautae, vndas absque nauigio permeaturi.* Addit Meſſenius, quod *hicce Al ſine ſimulacri ope reſponſa dederit*; quo antiquiores poſteros memores eſſe voluerint Diuini moris, oracula ex Arca edendi, ſecundum illam effigiem, quam & in monte vidit Moſes quamque τύπον in ep. ad Ebr. c. VIII, 5, appellat Paulus, fabricata. Tertia Dei appellatio erat *Ia*, *Go*, *Gio* & *Gia*, quam praeſertim in notiſſimo nomine *Fre-Ia* ſiue Fric-ja ſuperſtitem habemus; quod nomen per ignorantiam feminae tribuit poſterior aetas, vocis terminatione feminina decepta. Adamus vero Bremenſis, vitam Sec. IX degens maiorumque noſtrorum religionem omnium optime noſcens, itemque Cranzius recte opinantur, vocem Fric-Ia *maſculini*, non autem feminini, eſſe

eſſe *generis*, quam ex Ebraeorum יָה, *Deus*, & פרח, *fructificauit*, compoſitam eſſe puto; vnde Fre-ja *Deum*, *bonorum omnium copiam fauſtitatemque large dantem*, ſignificat. Cuinam hoc tributum fuerit nomen, Hiſtoricorum ſub lite eſt. *Freiam defunctum eſſe*, narrat Snorro, *terramque ſic & pacis artibus & alia quademumcunque felicitate beaſſe, quam ob cauſſam ſacrificia illis fecerunt Sueci. Regem hunc fuiſſe dicunt, homines omni beatitatis genere cumulantem. Nullis* hunc quoque *veſtibus circumdatum* fuiſſe tradunt *atque armis*. Cfr. Adamum & Scheffer. Aborigines noſtros de Vnigeniti Dei filii morte per Euangelium eruditos fuiſſe, ex his allatis ſibi quisquam facile perſuadere poteſt. Quid? quod nomen Fre-ja ſeu פרי יה, quo eum nobilitarunt, per *Dei ſurculum* ſiue *filium* explicari poteſt: hinc ille dies, quo acerbiſſimam mortem paſſus eſt noſter Soſpitator, a Fre-jah nomen habet. Meliora certioraque huius rei indicia atque monimenta noſtras in manus tradere non valent vetuſtiſſimi Annales, ipſa quum veritas, paganismo Suio-gothicum per orbem immenſum quantum ſaeuiente, cimmeriis immerſa tenebris latuerit.

Goia ſiue *Goi* quartum Dei nomen aut idem eſt, ac prius, aut a voce אהיה, *Ehjaeh*, cuius ſimilitudinem quandam refert, deriuandum. Plura veri Dei nomina inueſtigandi occaſionem mihi haud ſuppeditarunt Annales; haec tamen ſpeciminum inſtar erunt, quae Coloniam, hac in terra primo conſedentem, totam quantam Ebraeam fuiſſe euincunt. Aliud hac in re argumentum nobis ſuppeditat

IV.

IV. THOR *Suitiorum ſimulacrum antiquiſſimum.* Gentilismo totam Sueciam occupante, obnubilatae mentes, falſa religione ductae, mortuos homines Deos habere coeperunt, Sap. XIV, 13. 23. atque talis veſana ſtultitia Thorum Meth-Odinumque adoratos reddidit, quos tamen antiquiſſimi Aſitae ac Suitiotae Heroum inſtar defunctorum tantum ſuſpexere. Hi itidem ſancti homines, a qua gente olim emanauimus, oſtendunt: Thor namque Ebraea eſt vox Moſisque titulus, qui, circumſtrepente tonitru atque emicantibus fulgetris, diuinam legem, תורה Ebraice, nobis praebuit; *Thor* ideoque valet idem ac *Legislator.* Et licet Moſen Deus ipſe appellet *Deum Aaronis* Ex. IV, 16., eum tamen cum omnium potentiſſimo conferat nemo: namque vocatur etiam ib. v. 22. *primogenitus Dei.* Haec ſuis quodam modo verbis exprimere conatus eſt Edda L. I, 11. *Adon dictus eſt* Al-Fader, *omnium cum Deorum ſit Parens: eiusque filius eſt As-Thor,* i. e. Aſitarum Legifer; qui horrendum ob fragorem tonitruum, Montem Sinai legis, ſub promulgatione circumſtrepentem, Ex. XIX. XX. &c. *altas aëris regiones habitaſſe atque ſecum tuliſſe dicitur tonitrua, fulmina, nubes, imbres,* teſte Ad. Bremenſi. Haec ita exponit Scheff. p. 60. *Suecorum Thor, ſtrenuus omnino Dux, late per orbem vagatus eſt, legem latam ſancte ſeruauit, faciem ſplendentem candentemque flammam circumtulit.* Quam appoſite haec de Moſe vnice dici poſſint, ex Sacris Literis patebit vnicuique. Huc quoque pertinent, quae Olauus Magn. L. III. c. 3. de Thoro refert, *duodecim* nimirum eum cinxiſſe *ſtellas,*

quae eius ſorte in *duod. Iſraëlis filios* imperium deſignarent, Geneſ. XXXVII, 9. Dicitur praeterea Thoro *clauam* fuiſſe, qua & hoſtes ſuos proſtrauit & rupes perſcidit: hanc itaque Io. Magn. Hiſt. L. I. 9., Adam. Brem. & Ericus Olai *ſceptrum Thori, igne quoque cinctum*, vocat; & eſt ſane Moſei monimentum baculi, qui & eius in igne ipſo aſſecla fuit, quo & petram percuſſit & hoſtes diſſipauit. Bellicae, quas geſſit Thorus, expeditiones notae etiam ſunt Cedreno, Suidae, Faſtis Siculis & Chronic. Alexandrino; quod ſcilicet *As-Thor ſeu Thurra Aſſyrius multas circa Thraciam prouincias ſubiugauerit* (i. e. Ebraeorum terram) atque ſuam ob virtutem ſagatam togatamque nomine As-Thori, עז תור, ſiue As-Terii appellatus fuerit, quod per *fortem Legislatorem* interpretari poteſt, idemque fere eſt ac Graecorum Iouis-Thor ſ. *Iupiter*, a יפע ſplenduit, illuxit, & תּוֹרָה, *lex*, h. e. *Legis Auctor, cuius facies, ſolis inſtar, fulget*; cui verſioni calculum quoque adiicit Poëta, dum *Iouem*, dicit, *ſolemque eumdem eſſe ſignificatu*. In antiquorum Reg. Hiſt. (Konunga Sagan) apellatur nomine *Od-der*, ex עד, *teſtis*, & תורה, *lex*, vt & Graeci Morique hunc Oddirum nuncuparunt, cfr. c. I. 14. reſpectu ad lapideas tabulas habito, in quibus lex indicebatur. Brynolphus Suenonius, *mortalem Deum Moſen* indigitans, eundem Meth-Odinum a מת *Meth* & ארון *Oden*, *h. e. Mortalem Odinum. S. Dominum* nominat *qui*, teſte Saxone, *coeco & errante impetu abreptos homines miraculis ac prodigiis monuit, vt Diuina iuſſa ea proſequerentur obtemperantia, quam immutabilis Illius recti tenor poſcit.*

poſcit. Dicitur, etiam, in *Erebo*, i. e. inferno, tempore quodam verſatum fuiſſe Meth-Odinum: cfr. c. II. §. 1., Vormium apud Scheffer. p. 71. Eam ob rem in Antiqu. Reg. Ann. (Konunga Sagan) laudatur, quod *homines primum docuerit, Runas pingere atque voces lapidibus inſcribere:* vnde apud Snorronem Sturles. *Gauta* ſeu *Tauta* audit, cfr. c. VI. IV., i. e. *Dei ſcriba*, qui Moſes erat. cfr. Huet. Dem. Eu. prop. IV. c. II. §. 2. Omnes circumſtantiae innuunt, Thorum & Meth-Odinum apud Suitios Diuos fuiſſe omnium antiquiſſimos, eorumque nominibus veteres indicaſſe Legiferum Iſraëlitarum Vatem Moſen, *cui*, inter nubes verſanti atras, *vocem ſuam audiendam Deus permiſit, & legum, vitae nimirum ſapientiaeque tabulas praeſenti tradidit, Diuina vt ſedera Iacobum atque edicta ſua Iſraëlem edoceret.* Syr. XLV, 5. 6.

Firmat quoque opinionem noſtram

V. SALA *totius Regni Metropolis*, quae in Hiſt. Reg. Ant. (Konunga Sag.) p. 61. *Salem* audit atque *Of-Salom* vetuſtiſſimo Suecanae linguae idiomate, Cfr. Bangii Hiſt. Eccl. p. 19., quod nomen profugi Iſraëlitae ſ. Scythae huc transportarunt, vt quaſi dirutae ſuae *Salem* ſeu Ieru-Solymae monimentum quoddam amplius exſtaret, Pſalm. LXXVII, 3. Hanc quoque vrbem, quondam celeberrimam, cippi noſtri Runici *Iur-Salam* nominant, *Salam* vero Solinus c. XXIV & Maximus Tyrius. A *Salem* appellationem & Suithiorum priſca Metropolis & aliae itidem paroeciae atque villae adhuc ſeruant ſuperſtitem. Itaque *Of* ſeu *Op-Sala* non ab Vbbonis aede (Ubbos Sal) ſed Ebraeorum

rum אף & שלם, i. e. *heic poſtea pax erit*, ſeu ab אב & שלום, *pacis pater*, compoſita eſt: *Oden-Sala* ab ארון atque שלום, *Dei pax*. Sempiterna haec, quae poſteritati quaſi mandanda curarunt, dulciſſimae ſunt monimenta Hieroſolymae, quam, triſtius olim relictam, heic inſtaurarent Sivete-jah, i. e. *Diuinae Tribus*, Pſ. CXXII, 3. 4. *Ad hunc Dei montem Upſalam Gothica gens vniuerſa confluerct, ſacra ſua Deorum honori factura.* cfr. Eric. Olaum in Hiſt. p. m. 24.

Rem noſtram porro probat

VI. *Salae Fanum.* Quemadmodum Metropolis ab Iſraëlitarum vrbe primaria nomen trahebat; adaeque Vpſalenſe delubrum clara erat Salomonaei Templi imago, funditus iam diruti ac deſerti. Choro hoc conſtabat ſeu *Sancta Sanctorum*, templo ipſo ſeu *Sancto* atque *Atrio*, vt effigies oſtendit, A. MDLIV Romae in S. Brigittae aedibus excuſa. Prout Salomonis Templum *totum quantum auro erat obductum* 1 Reg. VI, 21., ita *Vpſalenſe adeo ſplendidum, vt ne minimum quidem parietum, columnarum, immo tecti etiam, apparuerit, quod auro non rutilabat*, cfr. Ad. Brem. & Io. Magn. Sed eadem hoc fata expertum eſt ac Hieroſolymitanum. Etenim turpi paganismo vtriusque gentis illapſo animos, tantas ſacrae hae aedes fecere ruinas, vt illarum nec vola nec veſtigium, immo ne lapidum quidem acerui atque cineres, vmquam exſtiterint. A deſcriptione autem, adhuc ſuperſtite, concludere poſſumus, aedificatores ad imaginem Salomonaei Templi, procul licet ab hoc abeſſent, ſuum quoque exſtruxiſſe. Dignum quoque eſt, quod

quod obſeruetur, hocce Templum toto in Regno aduenis Aſitis vnicum fuiſſe; hinc rex Humblius filium ſuum, Daniae deinde Regem, ſeuere monuit, *ne alio in Templo, quam Salano, ſacra faceret, neque in Dania fanum quoddam exſtrueret.* Cfr. Ioh. Goth. Meſſen., prout in Cananaea etiam Tribubus Deus interdixerat, alio ne quopiam loco, quam vbi nomen ſuum publice celebrandum voluerit, ſacrificia facerent. Hoc praeceptum ſequuti forte ſunt maiores noſtrates, ne in idem inciderent peccatum, atque Iſraëlitae, dum Betheli Templum Dei contra iuſſum a Ierobeamo condebatur; quo factum fuit, vt huius culpae eas poenas luerent, quas illis Deus indixerat, quasque iam exſules ſubiere. Vide Ier. L, 6.

VII. CONVENIENTIA, *quae inter gentis vtriusque Deum colendi modum inuenitur.* Iidem hisce extorribus ritus, ac eorum maioribus Cananaeis, circa ſacra erant. Prout Abrahamus, Iſaacus Iacobusque *in lucis primo ac ſub dio ſacrificando diuina opera colebant;* ſic quoque noſtrates; quem morem Annales noſtri, itemque Scheffer. Vpſ. Ant. Stiernhök de Iure Sueog. p. 399 & Ornhjelm Hiſt. Eccl. Sueog. p. 103 ſuo probant teſtimonio: hinc in hunc vsque diem nomen ducunt noſtri *Odino conſecrati luci* (Helga-Lunder, Odins-Lunder) &c. cfr. Loccen. Antiq. Sueog. L. I, 3. *Magnum* deinde *Templum* aedificandum Suithii, vt refert prior §, inchoarunt, cuius Auctor Frej putatur, quem eundem, ac Fréi-jali, (vide ſupra) fuiſſe exiſtimo. Initio hoc fanum profanis haud deſtinatum fuiſſe vſibus & Bazius & Bangius

gius demonſtrare tentarunt: *in illo ergo nullum Idolum colendum tolerarunt*, prout etiam Hieroſolymae, vera religione optime florente, a Deo erat ordinatum. Quotidie *quatuor panes*, vt dicuntur, *viſionis* apponebantur, teſte Sturles. in vit. Dal. Guld.; qui ritus etiam ſub ſequenti paganiſmi tempore ſeruatus fuit. *Super altari, cremandis victimis deſtinato, ſacer ignis iugiter ardebat*, cfr. Leu. VI, 12. 13. Scheff. Vpſ. Ant. c. X, quae verba accurate expreſſit Arngrimus Ionae, dum ita: Oher ſkindi awera aldum, ſo aldvig ſlognade. Ab anteriori templi parte collocatum erat altare, cfr. Bang. p. 253., ſupra quod variae hoſtiae immolabantur. Narrat Io. Magn. L. I. c. X., *Meth-Odinum, ſupremum eorum legislatorem, ita ſacrificia atque caerimonias ordinaſſe, vt ſtatuto tempore peragerentur omnia. Prae aliis memorabilia erant tria anniuerſaria ſacrificia, quae omnes Tribus facerent, feſtos hos dies ad Salae templum celebraturae.* Cfr. Snorr. Scheff. p. 294. Hinc colligitur, hanc Salam *vrbem fuiſſe, in quam Tribus ſeſe congregarent*, Pſ. CXXII, 34., *vt* ſecundum idem Meth-Odini ſeu Moſis praeſcriptum, cui obtemperarunt Leuitae, rite *ſacrificia perpetrarent*. Quid? quod eosdem circa tria illa ſacra ſollemnia mores, ac Iſraëlitae & Iudaei, ſancte ſeruarent. Leu. XXIII. Deut. XVI. *Hoſtias resque Diuinas peracturus populus verbis ſupplicibus Deum Adonai Vpſalae*, vt Hieroſolymae, *adorabat*, cfr. Bang. p. 253. At a vero alienum Dei cultum gentiles introduxere tenebrae, ad ſeculum vsque IX, ſeu Caroli Magni tempora, Suithiorum mentes occae-

cantes. Haec tamen allata Iſraëlitarum Suitiorumque religionis ſimilitudinem &, quae inde fluit, noſtram cum Iudaeis cognationem ſatis probant, prout etiam

VIII. *Strenui ac pugnaces* GOTHI; qui, vt & Suitii, ob ſuam quoque erga Deum religionem illam aſſequuti fuere gloriam, vt Suithica Gothicaque terra omnium in ſeptemtrione ſanctiſſima ſaluteretur. Chron. Vet. Et licet Suithiae Gothiaeque nomina diuerſe ſonent; ab vna tamen deriuanda ſunt ſcaturigine. Gothorum namque titulus varias, temporis tractu, formas ſubiit. Et nominis & gentis origo eſt *profugus* ille *Gad*, a quo primo dicti ſunt *Gadis Filii*, a Graecis deinde *Gades*. atque *Gaditae*; poſt vero Aſſyriacam captiuitatem *Getae*; Septemtrionem noſtrum poſtea petentes, *Gautae* appellantur, & Regnum *Gauticum*; (Gauta-Rike) prout etiam eorum quidam relicti ciues atque ſocii ſuum circa Damaſcum domicilium *Gaut* vocarunt. Ita varias poſt peregrinationes per diuerſarum linguarum regiones inflexum eſſe *Gadaeum* nomen, autumamus. Apud Boch. Phal. L. II. c. 8. haec habentur: *circa Damaſcum vallis eſt, quae hodie etiam ab Arabibus appellatur* גוט & גוטה GAVTA: *Interpres vero Hieroſolymitanus ſcribit* גותא GAVTHA. Gen. XIV, 15. Arabs Geograph. Clim. III. parte V, *Damaſco*, ait, *prata atque montes ſunt, dicti* AL-GAVTA. Hac ratione certam eſſe atque indubitatam Gothorum cum Orientalibus populis affinitatem exiſtimamus, qui ſecundum eam, quam Gadi Iacobus praedixerat, felicitatem Gen. XLIX, 19. (*Gad armatus exercitum ducet reducetque*) quamque Deus promiſerat Deut. XXXIII, 20. (*Beatus ille dilatans Gad; tan-*

quam Leo habitans, brachium verticemque praedatur) per Europam omnem victricia ſua arma circumtulerunt. Gradiuus ſ. Mars Hyperboreus geminum ſuum & nomen & omen a גד, *excurſio turmalis*, cuius Rad. eſt גדד, *excurrit ad praedandum*, adeptus eſt: hinc quoque Paroëciae atque Territoria quaedam Gadhem & Gudhem appellantur. Hac nixi opinione, veram etiam cauſſam nos aſſequi poſſe putamus, cur Regnum Suio-Gothicum *tres leones* in ſuis gerat inſignibus, quibus *vnum* appoſuit Iacobaeum vaticinium Gen. XLIX, 9. (*Leo Iuuenis eſt Iuda* &c.) *alterum* felicitas a Moſe promiſſa Gadi, Deut. XXXIII, 20. (*Gad tanquam Leo habitat*) *tertium* vero Tribuum communis, quem illis Deus addiderat Eſ. XXIX, 1. Ex. XLIII, 15. 16., titulus *Ariel*. Et quum hicce *Gad* meridionales, i. e. *Gothicas*, Sueciae oras occupauerit, *Iuda* vero Septemtrionales ſiue *Iotum-hemiam*, & quum in regni meditullio circa nouam Salam promiſcue Tribus habitarent omnes; *tres Leones*, trium inſtar honorificorum titulorum, quos vna cum rerum proſpero ſucceſſu Deus Iſraëli atque Moſi largitus eſt, ſummo iure defendit Imperium noſtrum Suio-Gothicum.

IX. NOMINA *Iſraëlitarum adhuc apud nos ſeruata*. Communem Iſraëlitarum appellationem עברי, *Beri* ſeu *Iberi*, ad noſtra vsque tempora integram vindicauit inclita Berikarlorum in Weſtro-Bothnia familia (Beri-Karla-Slaften). In *Iotun-hemia* non ſolum, ſed & in *Iutia*, i. e. Dania, ſuum adhuc titulum IVDAEA ſtirps reliquit: LEVI in paroëcia Weſtrabothniae *Leui*-Anger: in Lapponia

nia SIMEONIS gens: GAD in *Gad-hemia* ſeu vtraque Gothia: *Askerſundiae* & in *Aſcers-Tunia* ASSERI: in *Ioſa-torp*, *Ioſa-na* IOSEPHI tribus. Regno *Daniae* eiusque ſinui, *Co-da-no* dicto, item Paroëciae *Danmark* & fodinae *Dan-morenſi* in Suecia nomina impoſuit DAN; praeterquam, quod ruricola quisque ea morum probitate eaque inſtructus intelligentia, iudici vt aſſidere queat, Dan-Man ſalutetur, reſpectu forte habito ad verba Geneſeos XLIX: *Dan iudicabit populum ſuum.*

Sententiam noſtram probat quoque

X. *Inclita* SAMAEORVM FAMILIA *in Lapponia.* Lappones genuinos eſſe Iſraëlitas, ex vtriusque gentis linguae conuenientia antea oſtendit D. Ol. Rudbeckius in Lapp. Hebraizante. Eorum praeterea *habitacula* ac *tentoria* eodem more, ac Iſraëlitarum in ſolitudine palantium, ſunt ſtructa: *annos* ab initio veris, ſeu menſe Niſan, inchoant pleraque & vetuſtiſſima eorum Runica Calendaria: *Sabbathum* die Saturni celebrant: adeo vaga ac incerta ſunt eorum *habitacula* atque *domicilia*, vt bis numquam vno in loco conſedant: *corda* eorum pauor, *oculos* debilitas, torpor *animos* occupat, Deut. XXVIII, 65., quo fit, vt ad caſtra Mauortiasque artes minime ſint idonei: fabulae inſtar in vulgi ore atque communibus prouerbiis verſantur. cfr. l. c. v. 37. Ad orbis fines *lares ſuos* poſuere, vbi vitam fame, ſiti, nuditate variisque incommodis ſtipatam degunt: v. 48. 49. Ligna ac lapides *Deorum* loco habent, v. 64, quos *Dar-paza* vocant, a דר, *lapidis* genus, & פץ *diſperſus*; valet igitur Dar-paza *diſperſorum lapi-*

 dem

dem ſacrum, quem in memoriam lapidis, Betheli a Iacobo vncti, poſuere. Eorum *vaticinia* non ſunt niſi fictorum ſomniorum viſa, praeſagitiones atque deliramenta. Ier. XIV, 14. *Tympanum Magicum*, quo vtuntur, deperditae eſt indicium arcae, quae, quidquid in rem eſſet, ſiue non, praedicere potuit. Eorum nomina peculiares circa euentus in alia mutantur, vt Abrami in Abraham, Iacobi in Iſraël, Ioſephi in Saphnath, Salomonis in Iedidiam, Danielis in Beltſazar. Quid? quod gens Lapponica vniuerſa inuicem ſeſe *Samios* appellitat; quae vox paulhulum a Simeone, cui natales haec natio debet, deflexit: vel etiam Samii dicti ſunt propter commune eorum excidium, a שמם, h. e. *gens diſperſa & ob peccata ſua prope deleta*; vt de illa vaticinatus eſt Propheta Ier. Thren. I. V, 5. Ier. XII, 11. Hanc exciſionem, quae illis, in montoſa vaſtaque ſolitudine dicta eorum lingua *Naſaf-Field* & Ebraice הרי נשף, iam vagantibus, contingeret, ſuis vna cum circumſtantiis auguratus eſt atque praedixit Ieremias c. XIII, 16. *Domino veſtro*, ait, *Deo gloriam prius tribuiſte*, *quam vos tenebrae occupent & pedes veſtri in montes*, *caligine obſitis*, *impingant*.

Opinionis noſtrae veritatem vlterius teſtantur

XI. CIPPI RVNICI. Hoſce erigendi mos ab eo inde tempore integer ſeruatus eſt, quo ſummus Legislator ſanctam legem lapideis primo tabulis inciderat, eamque dolabratis planisque Ebaliticis ſaxis inſculpendam curauerat, Deut. XXVII, 4. Ioſ. VIII, 32. Ier. XVII, 1., quibus lapidibus *legis poſteriores tabulae*, Iſraëlitarum ad Cananaeam, per deſola-

ſolata loca, itinera quoque exhibentes, quum continerentur, hanc rem hiſce referre verbis coactus eſt Apollodorus Arg. L. IV, 279: *Tempore Iaſonis,* i. e. Ioſuae, *ſcripta, in Saxis inſculpta, adhuc integra inueniebantur, quae omnes eorum vias atque emenſa itinera item & terrae, in quam appulere, marisque terminos vndiquaque diligenter expoſuerunt:* hiſce addit eius Scholiaſtes, quod *apud antiquiſſimos mos erat erigendi lapides, in quibus, quaecumque in rem eſſent, inſcripſere;* teſtibus etiam Luciano L. II. Plin. L. VI. c. 24. Tacit. Ann. L. XI. c. 14. Proclo in Timaeum. Ariſtophanis ſchol. in nub. & auib. Diod. L. I., qui ita loquuntur ſinguli, vnicuique vt conſtet, ſcriptores hoſce morem Iſraëlitarum ſcribendi vetuſtiſſimum indicaſſe, quem noſtri imitati ſunt aborigines, diuturnam poſt fugam in terram hanc aduentitii. Atque *Meth-Odinus, Runicae inuentor picturae,* (cfr. c. 1 Reg. Antiq. Fabul.) *Nili fluuio extractus erat Hercules, qui Phrygicas literas apportauit.* Cic. L. III. Nat. Deor. Hinc factum eſt, vt, quod in cetero terrarum orbe rarum quam maxime eſt atque inſolitum, inter Scythicos noſtros Iſraëlitas adeo frequens fuerit, *in lapidibus mentis ſenſa & conſilia inſcribere,* vt nullum pene vetuſtatis monimentum perituris cartis tradiderint. Vox praeterea *Runa* Ebraea eſt, a רנה, rôna, facta, vt Bazius Inu. Ecll. L. I, 1. iam pridem obſeruauit. Hinc Strabo L. VII. p. 203 teſtatur, *Cimbrorum feminas Vates dictas fuiſſe Ali-Runas,* ab על, *excelſus* atque רנה, h. e. *recondita praeclaraque eruditione ac auguratu praeditas Mulieres,* (Sierſkor) quae penes Cimbros in Dania dege-

degebant. Nemo vero putet, Iſraëlitarum Runas, tot a Moſis aetate ad aduentum eorum in Septemtrionem, peregrina expertas quondam ſcribendi genera, nullas ſubiiſſe viciſſitudines, *Phoeniciorum* tamen *literae nullae pene aliae ſunt, quam Runae retrogradae:* (Wänd-Runor) & *quum hae retrogrado Ebraeorum ſcribendi modo pingantur, illis, leuiter tantum immutatis, Ebraeum ſonum addidere*, teſte eruditiſſ. Ol. Rudb. T. I. p. 843 & 844. it. Bazio l. c. & Vormio Lit. Run. c. XX, 21, vnde Herm. Hugo prim. Scrib. Orig. c. III. ita concludit: *Gothorum Runae a Syriis forte literis ortae ſunt: illis namque ſunt perſimiles.* Omnium oculis ſubiicimus ſimilem picturam Runarum A, Th, J, L, S, U, T, AA atque primarum Ebraearum literarum. M, B, Ei literas Samaritanorum referunt. N, R, K literis Ionum, G literae Ebraeae vulgari & Th literae Nummorum ſimilia adhuc inueniuntur, rerum licet edax tempus in aliam has vertere formam tentauerit. Mos vero Runis, ad ſerpentis ſinuoſos flexus (Ormſlinga) formatis atque in cippis inſculptis, defunctorum tradendi memoriam, teſtatur, maiores noſtros Iſraëlitas, a Moſe optime eruditos, haud fugiſſe, ſerpentis aſtutia mortem in mundum introductam eſſe. Euangelii lumine illuceſcente, vel ſerpentem in crucem laeti mutarunt, vel crucem ſerpenti appoſuere, ſuam in *mulieris ſemen, ſerpentis conculcans caput*, fidem teſtificaturi.

XII. *Ebraicae linguae reliquae*, quae in noſtra ſuperſtites ſunt, Suitiorum cum Iudaeis cognationem indicant. Voces in Gothico idiomate primi-

genias

genias in Ebraica lingua ſupereſſe, ſatis a Doct. Olau. Rudbeckio in Lexic. Harm. eſt demonſtratum & dictionario quodam, a me confecto, ſi ita ferrent huius libelli limites, demonſtrari poſſet. In antea dictorum euidentiam atque illuſtrationem pauciſſimis dicam, Regni ſtrenuiſſimos Heroas dictos fuiſſe *Diar* a דור, *terruit:* vnde Graec. θοῦρις *bellicoſus* & noſtrum Drott. Duodecim Suio-gothiae Duces atque familiarum capita *Bar-ſerki* nuncupati ſunt a ברה, *elegit*, & שרקה, *Sorekah*, ſeu שורק; h. e. *ſurculus electiſſimus in vite*, vnde שריקות *ſericum*: denotant igitur *Ber-ſerki* Electos ac Principes Purpuratos. *Spekingae* vocantur Imperii Iudices ſapientiſſimi, a ספק *ſuffecit, ſufficientiam habuit*, 1 Reg. XX, 20., hinc Legifer noſtrates *Thyr-Spakur*, i. e. legis periti, a תורה, *lex*, & ספק, olim ſalutabantur. Locus, vbi ius exercebatur, dictus eſt *Mora* a מורה, *Doctor legis:* vnde lapidibus Morenſibus ſuum eſt nomen. *Skaldorum* appellatione inclaruerunt Hiſtoriae patriae Scriptores a שכל *induſtrius* vel *prudens* fuit, &c. Opinioni de Maiorum noſtrorum ab extorribus Iſraëlitis ſiue Scythis origine robur etiam addit, quam adhuc ſeruamus, peculiaris linguae noſtrae cum aliis permixtio, tam facta, cum variarum linguarum terras Orientales, partim habitarunt, partim peruagati ſunt fugaces Iſraëlitae. Transmearunt ſcilicet Perſiam, Parthiam, Cherſoneſum-Tauricam, Tartariam Praecopenſem atque partem Graeciae, in qua, Lacedaemoni praeſertim 1 Macc. XII, 6., horum quidam conſederunt. Et quoniam hi profugi diu ſatis in dictis

hiſce regionibus commorati fuere; linguae patriae genium in eorum, cum quibus conuerſabantur, ſenſum transmutarent, neceſſe eſt: hinc inuenimus, non vnum Scythis fugientibus fuiſſe loquendi idioma, ſed vnamquamque emigrantem turbam loquendi proprietates ad illius terrae, vbi habitabant, linguam compoſuiſſe. Et quum Aborigines noſtri lente admodum terras, ſupra nominatas, perreptauerint, fieri non potuit, quin eruditi quidam, peregrinas peragrantes prouincias, Viri, quae Gothicae linguae cum dictarum Orientalium gentium linguis intercedit, ſimilitudinem admirarentur. De conuenientia *Linguae Perſicae* cum Gothica legatur Odhelii Diſſertatio in hoc idem argumentum, cui eo lubenter omnino noſtros adiicere poſſumus calculos, quum & ab hac parte ſtent Ammianus Marcell. L. XXXI., Boxhorn. Ep. ad Blankardum & Olearius L. V. c. 24. Ling. Perſ., & Perſae quoque, ad remanentes Scythas ſuas referre natales, dicantur. *Parthos* Scythicorum Iſraëlitarum eſſe cognatos refert Plinius L. VI. c. 25; cui teſtimonio adſtipulatur Georg. Hornius Praef. ad Orig. Gall. Boxh.; *Colchida*, ait, *habitantes e patria ſua fugatos eſſe, narrant, prout etiam Scythae quidam eamdem ob cauſſam in fugam ſeſe coniecerunt*, *atque fugientes Parthorum aſſumſere nomen*, h. e. *ſuo e ſolo expulſorum*; & Iornand. de Reb. Get. c. VI. *eosdem ſuperſtites eſſe Gothos ſeu Getas*, exiſtimat. In Cherſoneſo-Taurica cognatos etiam habent Gothi, de quibus haec habet Bizarrus L. I. Hiſt. Perſ. p. 37. *dubium non eſt*, *quin a Getis oriundi ſint Gothi*: *vnde in hunc vsque diem prouincia*, *Colchidi finitima*,

nomi-

nominetur Gottia, *atque in Taurica Gotti*, *Teutonice* (ideoque haud dubio Gothice) *loquentes*, *ſuperſint*. Qua ratione *Tartarica* lingua cum Gothica conſpiret, certius nemo diſſerere poteſt, quam Busbequius Ep. IV. p. 321., qui Tartaricas voces Suecanas omnino eſſe monſtrat; vt etiam Peringskoldius in Annot. ad V. T. p. 347. Tartaricam cantilenam noſtra cum lingua conciliat. Quid? quod Ioſaphat Barbarus, Nobilis Venetianus, in Tartaria diu commoratus, *hanc gentem ſeſe Gothos ac Terram Gothiam appellare*, adſeuerat. Cfr. Michelſonii Diſſ. Philol. p. 12. Quod vero ad *Graecam* attinet, voces cum Gothica lingua multis conuenientes modis reperimus; cfr. Erici Benzelii fil. Per. Run. p. 33 & ab eo citatos auctores: quae conuenientia ex eo non colligitur, quaſi Gothi, ſiue Scythae, e Suecia Orientalem terram immigrauerint, tacente coaeua omni hiſtoria; ſed ex eo, quod Scythae ſeu profugi Iſraëlitae, has regiones permeantes, ſuae ad incolarum linguae genium accommodarint, ſuis deinde cum laribus atque tentoriis in Sueciam, Aſitae tum dicti, migraturi; teſtibus & Eſra & fabulis noſtris, tum etiam Moſe. Deut. XXVII, 49. *Populum ſuper Te longinquum e terrae finibus Iehouah adducet —— —— cuius linguam non intelliges*.

Patebit denique aſſertionis noſtrae euidentia

XIII. *e Suitiorum excurſionibus ac latrociniis*, quibus pleni ſunt vetuſtiſſimi Annales, Iſraëlitarum, maiorum noſtrorum; indolem vere depingentes: *adeo vt ex vnguibus noſcatur Leo*, *Iuda & Gad*.

Ete-

Etenim res Iſraëlitarum, in Aegypto, Arabia atque Cananaea geſtas, contemplaturi, eas non niſi praedationes fuiſſe, quas tamen Dei ad nutum agitarunt, inuenimus, Deut. XX, 14-16.; vnde euenit, vt in Africam fugientes Phoenicii lapide haec exarauerint: *Nos ſumus, qui fugimus a facie Ieſu latronis, filii Naue*, referente Procopio Reb. Vand. c. II.; immo & Rabbi Salomon Iarchi ad Gen. c. I, *totus*, inquit, *Iſraël a finitimis gentibus praedones habentur*, idque ob hoſtiles, quas ſemper exercebant, excurſiones atque cruenta latrocinia. Hanc quoque indolem eorum propago, Sueci, cum Scytharum nomine Aſiam peruagantes, tum Aſitarum appellatione boreales oras conſedentes, paganis craſſisque tenebris obducti, ſtrenue imitati ſunt.

§. VII.

Itaque ſummam huic oppellae imponam manum. Et quoniam rectam voluntatem animo ſtatutam habuerim deliberatamque, nemo quispiam miretur, ſi a vulgaribus opinionibus aliquantulum diſceſſerim. Deus vero per ſoſpitatorem meum Ieſum Chriſtum ſempiterna extollendus ſit gloria atque ſummis laudibus.

Amen.

CAPVT ADDITVM EX MANVSCRIPTO LATINO.

DE ARGONAVTIS.

§. I.

Stupenda Argonautarum expeditio; cum orbem vniuerſum in ſui admirationem raperet, haud parum gloriae Graecis iam diu immerentibus attulit. Nam cum ob Orpheo tam miraculoſae rei monimentum acceperunt, vt erant laudis alienae aut inuidi aut aemuli, hanc Hiſtoriam auſu penitus audaci ſuam fecere. Cum tamen non minus hoc Vetuſtatis grande negotium, quam cetera ab Oriente & Aegypto habuere. Ac propterea hodienum neſciunt, quale *Vellus Aureum*, qui Tauri igniuomi, quis Draco, quaeque via, per quam vltro citroque pertexerit, iam per maria iam per ſyluas portabilis Argo. Nec obſcure nugas ſuas produnt, cum fatentur Orpheum ex Aegypto hanc ſecum habuiſſe fabulam, quod non opus fuiſſet, ſi penes Graecos res geſta fuiſſet, & ſi ipſius expeditionis pars haud ignobilis ipſe fuiſſet Orpheus.

§. II.

Miſſis itaque tam Graecis, quam aliorum nugis, totam hanc Argonautarum expeditionem prorſus ac vnguem coincidere cum Iſraëlitarum itinere ex Aegy-

Aegypto in terram Canaan; quod ex ſequentibus cuiuis liberrime cogitandi liquido conſtabit.

§. III.

Iaſon huius expeditionis Imperator & Dux bellicus *Ioſua Nun* filius erat Num. XXVII, 18. 19. Ioſ. I, vt nominis obuia & plana ſimilitudo monet, quem Graeci Theſſalum fingunt vt & Herculem ne veritati ſimul & gloriae excidant. Erat vero *Iaſon* & *Hercules* idem Heros, atque adeo hos comites in Argonautica expeditione faciunt Poëtae, cum ambo Ducis & Imperatoris nomine celebrandus: quem enim caeteris praeferunt Poëtae Iaſonem, hunc Herculem vocat & fuiſſe contendit Diod. L. IV, 42. *Proceres*, inquiens, *tandem congreſſi Herculis ob virtutis praerogatiuam Imperatorem creant.* Imprimis etiam noſtrae opinioni robur inde accidit, quod in hoc itinere fertur *Iaſonem ſecum conſtituiſſe imitari Perſei ſui progenitoris facinora* Diod. L. IV. c. 41. Erat enim Perſeus cum Moſe idem vt ex Huetio euincitur in Dem. Eu. Cuius veſtigia in omnibus premere ſuſtinuit Ioſua. Deut XXXIV, 9. I, 38. Num. XXVII, 12. 19. Ioſ. I, 1-10. Addit porro Diod. L. c. quod *Patrueli eius* (ſic miſcet vana veris cum Pharaonem Patruelem vocat & cognatum Iaſonis) *magnopere placuit haec expeditio, non quod tantopere gloriam adoleſcentis illuſtratam cuperet, ſed quod inter tot expeditionis diſcrimina interiturum ſperaret.* In Tharacenem enim ita congrue cecinit Valer. Flac. Arg. Lib. I, 26.

Sed non vlla quis animo fratrisque parenti
Progeniem Diuumque minas. Hunc nam fore Regi

Exitio

Exitio vateſque canunt, pecudumque per aras
Terrifici monitus iterant: ſuper ipſius ingens
Inſtat fama Viri, virtusque haud laeta Tyranno.

Ex hiſtoria ſacra apparet, quam graui luctabatur tumore Tyrannus Pharao Minas Diuum per Moſen & Aaronem denunciatas decem plagis emenſus eſt. Sui Vates, teſte Ioſepho, dicebant Moſen filiae Pharaonis filium adoptitium fore illi exitialem. *Eratque Moſes Vir Magnus valde ante oculos ſeruorum Pharaonis.* Ex. II, 3. Nec mirum ſi Moſen eiusque facinora cum Ioſuae contulit ignara Graecia. Ita enim in fabulis ad Hiſtoriam accedunt Antiqui Gentiles, vt paſſim inter ſcorias aurum & inter figmenta veritatem cernere liceat. In eadem itaque hac expeditione Argonautica cum Duces fuere partim Moſes partim Ioſua, hunc in illum commutarunt. Et ſic Iaſonem Pharaonis affinem faciunt, cum Moſes eſſet adoptiuus filiae Pharaonis cuius Pater ſub exitu Iſraëlitarum regnarat. Beliae enim virilis ſexus filios natura negauit, vti de Pharaone habet Hiſtoria Biblica, & hinc lites in Moſen excitatas Iaſonis ſerui Moſis faciunt, quapropter Pharao hunc cum omni populo Iſraëlitico occidere fatagit, &

v. 31. Anteire metus iuuenemque exſtinguere pergit
32. Aeſonium letique vias & tempora verſat.

§. IV.

Rebus interea bene compoſitis itineri ſe accingit Iaſon. *Cui non modo neceſſarios ad expeditionem ſumtus obtulit tyrannus, ſed & ad hoc certamen illum excitauit*, vti habet Diod. L. c. Nam exeun-

exeuntibus Iſraëlitis Argentum & Aurum illis ſuppeditatum eſt affatim ab Aegyptiis, & ab illis pariter moniti ſunt vt exirent. Ex. II, 2. XII, 30-36. *Surrexit ergo Pharao noctu ipſe & omnes ſerui eius cunctaque Aegyptus, vocauitque Moſen & Aaronem noctu dicens: ſurgite egredimini a populo meo & vos & filii Iſraël. —— Vrgebantque Aegyptii populum vt feſtinando dimitterent eos de terra, feceruntque filii Iſraël iuxta edictum Moſis petentes ab Aegyptiis vaſa argentea atque aurea & veſtes, atque ſic ſpoliarunt Aegyptum.*

§. V.

Inter praeſtantiſſima & primaria Iaſonis facinora primum erat Argi nauis aedificatio: *ſub Belio monte nauem mole ceteroque apparatu longe maiorem, quam conſuetudo tunc ferret, aedificauit: vt opus illud videntibus ſummam iniiceret admirationem. Nauem autem Argo nuncupauit.* Diod. L. 4. c. 42. At de huius nauis natura & nomine varia eſt coniectura. Diod. L. I. dictam *Argo* putat l. ab Architecto, vel a Gigante quodam, vel a celeritate inſigni, quod *Argon* antiquitus *ſubitum* notet. Abel in Hiſt. Orb. Ant. & Kiriath Arba gigante trahit. Mihi vero vt populus & Dux nauigii Ebraeus erat, ita vocem quoque *Argo* Ebraeam puto. ארג eſt *texuit*, inde ארגן Argan, arca; & ſic erat Argo Poëtarum eadem cum *Arca federis*, quam ſub monte Sinai (quem Belion fecere Graeci) & mole & apparatu a ceteris plane diuerſam aedificauit Bezaleel Vri filius, & admirationi fuit omnibus populis terrae.

§. VI.

§. VI.

Verum non modo nomen *Argo* cum Arca Federis conuenit, ſed & effectus. Fabulantur enim Poëtae, hanc Nauem ſiue Arcam fuiſſe *Loquacem*; nam teſte Apoll. Arg. L. I.

Ad proram Minerua vocale Dodanaei fagi
Lignum accommodauit. & v. 524.
—— *Ipſo etiam*
Argo inſonuit & Abitum vrgebat.
Nimirum diuina ipſi fuerat trabs impacta
Quam medio caeſia Minerua adaptauerat.

L. IV, 580. —— —— —— *Ecce enim ſubitum*
Clamat articulate inter nauigandum
Loquax cauae nauis lignum, quod mediam ad
Carinam Minerua e Dodonaea aptauerat
quercu.

v. 591. *Sic perſonuit Argo ſub crepuſculum veſpertinum.*

Et Vall. Flac. Arg. L. I.

Viſa coronatae fulgens tutela carinae,
Vocibus his inſtare duci.

& v. 2. L. I. vocat *Ratem fatidicam*, v. 303. *famulam Iouis* & *ſiluam fatidicam*; quia fata ingruentia Iaſoni indicauit. At quale hoc erat lignum vocale neſciuerunt Graeci; nulla enim vnquam nauis, imo nullum lignum ſonum edere valuit articulatum, ſi vnicam exceperis *Arcam federis*, ex qua quam ſaepiſſime Oracula Diuina ſuis auribus hauſit Moſes & Ioſua & Populus Iſraël. Num. VII, 29. *Cumque Moſes intrauit intra tentorium teſtimonii, vt cum*

 Deo

Deo ſermo haberetur, tunc audiuit vocem ſecum loqui ex Propitiatorio, quod erat ſuprà Arcam Teſtimonii inter duo Cherubim; inde enim cum eo collocutus eſt. Leu. I, 1. *Inclamauit autem Moſen & allocutus eſt eum Iehoua ex Tentorio Conuentus.* In deſerto ſub toto itinere apparuit Gloria Dei ex Arca & inde locutus eſt cum ducibus Iſraëlitarum. *Et Iobouae Arca Federis antecedebat eos, vt oſtenderet, vbi caſtra ponerent.* Num. X, 33. Vt non vbique mendaces vocare liceat Poëtas: lignumque *Dodonaeum* erat *lignum Schittim* Ex. XXV, 5.

§. VII.

Architectus huius *Argi* miraculoſi, aut ſub nomine *Argus* celebratur, aut *Minerua* fuiſſe fertur. Appoll. L. I, 18.

Priores, ait, *Poëtae referunt vt nauis*
Ab Argo fuit Mineruae afflatu laborata.
L. III, 340. *Minerua autem eſt nauem Architectata, non talem quidem*
Qualis eſſe penes Colchos ſolent naues.
Lib. IV, 540. - - - - - *Nec numine vano,*
Si quae fides curae ſuperum, tantum aequor adorti
Tendimus. Ipſa mihi puppem Iouis optima proles
Inſtituit.

Alii Iaſonem cum ſuis commilitionibus fabrum faciunt. Sed res eodem recidit. Iaſon Ioſua erat ſeruus Moſis, cuius monitis Argo ſiue Beſaleel confecit Arcam ex opibus & oblatione, quam contulit Minerua, quae erat populus Iſraël, vt infra ſuo

capite

capite monſtrauimus. Et probe monet Apollonius hanc nauem plane aliam fuiſſe & diuerſam a ceteris nauigiis gentium.

§. VIII.

Portabilis etiam haec Nauis Argo fuit, vt vel exinde Arcam federis dignoſcere poſſumus. Nam ſi nauis fuiſſet ingentis magnitudinis, vtique portari nequiuiſſet. Sed audiamus Poëtas, qui non modo huius opera flumina fuiſſe tranſita & peruia, ſed & ipſam a commilitio Iaſonis per ſolitudines & deſerta vectam teſtantur. Val. Flac. Lib. I, 3. ait ſibi carmen fore *Fatidicam Ratem*

quae *Auſa ſequi, medioſque inter iuga concita curſus*
Rumpere. & verſu 104.
- - - *Magnaque ratem per luſtra viasque*
Viſi laude canunt manifeſto in lumine Fauni,
Syluarumque Deae atque elatis cornibus Ammon.

v. 184. *At ducis imperio Minyae monituque frequentes*
Puppim humeris ſubeunt & lento poplite proni
Decurrunt.

Orpheus idem teſtatur v. 1082.

Ibi vero effugimus periculum
Donec Heroes, quoniam Littus erat, ibi funibus

Alligabant nauem & litore decurrentes.
Traxerunt annixi ſubſecutaque eſt nauis.

Apollon. Lib. IV. v. 1372 adhuc clarius

Ergo eam viri in humeros
Sublatam per Arenoſae telluris ſpatia
Baiulabimus. & paulo poſt v. 1382.
Vtque hunc certo certius accepi ſermonem
Vos clariſſima Regum progenies
Veſtris opibus, virtute veſtra per deſertos Libyae tumulos
Nauim ſublimem & quidquid in naui vehitis
Humeris impoſita ipſos duodecim portaſſe
Dies noctesque.

Nec a Poëtis diſſentiunt alii. Plinius L. III, 18. *Nauem Argo humeris tranſuectam Alpes diligentiores tradunt.* Diod. L. V, 3. *Non pauci tum veteres tum noui ſcriptores inter quos eſt Timaeus, tradunt Argonautas poſt raptum Aureum Vellus, rem mirificam fuiſſe aggreſſos & hiſtoria dignam. Nauigantes enim per Tanaim ad eius fontes iuxta quendam locum, naue per terram ad alium fluuium tracta in Oceanum verſus Aretum dilatos ferunt.* Mittamus heic nugas de naui immenſae molis a Tanai in Tarnam vecta: quis enim per rupes & ſolitudines, quis per inhoſpita teſqua vnquam nauem portaſſe credatur? Aut cui bono: ſed noſtra Argo *Arca federis* ſacerdotum ſemper humeris eſt ſublata & Minyae illi erant niſi fallor *filii Kebathi*, nam *Hoc miniſterium filiorum Kebathi in tentorio conuentus vt Arcam cum ſuis inſtrumentis deportarent.*

Num.

Num. IV, 4. 15. Nec non *filii Gerſonis* v. 22. 24. 25., qui cum filii Moſis eſſent, dicebantur Minyes. Minos enim Legislator apud Platonem manifeſto Moſes erat. Et ſic non modo per ſolitudinem Arabiae vecta eſt, ſed & obuium Iordanem fluuium *Peruium* fecit & hinc anſam arripuere Gentiles dicendi, arcam hanc *Nauem*, cuius opera *Aquas* transire poſſent Iſraëlitae Ioſ. III, 4.

§. IX.

Sed & ex Comitibus ſociisque Iaſonis veram dignoſcere Hiſtoriam poſſumus. Erat vero poſt *Iaſonem* ſeu Herculem Princeps *Mopſus* ſiue Moſes, qui vbique Deo plenus populo ſuo nunciauit fata & hinc ita deſcribitur a Valer. Flac. L. I, 207.

Ecce ſacer totusque Dei per litora Mopſus
Immanis viſu vitamque comamque per auras.
Surgentem laurusque rotat: vix reddita tandem
Vox horrenda viris, cfr. v. 383.

Erat ille Augur & Vates ſummus vt cum Moſe facile ſit conferendus. Apoll. L. I, 65.

Adfuit etiam Mopſus, quem optime omnium
Latonae filius edocuerat artem augurandi.

Videtur etiam idem Apoll. v. 79 ſubindigitare, quod ante aduentum in terram deſtinatam periret. Canit ita:

— ſanctum quippe fato erat,
Vt Mopſus ſagaciſſimus Vatum
Vagans in Africae oris immature decideret.

§. X.

Orpheus etiam inter Comites celebratur, ſed idem erat cum Mopſo ac *Moſe*, licet nomina diuerſa alium facere videntur: Nam cum rite perpendimus, quae de Orpheo habent Gentes, facile agnoſcitur Iſraëlitarum Moſes. Adeoque non curemus eos, qui diuerſa tuentur, dummodo veritas & ſimilitudo fabulae nobiscum conſentit. Imprimis cum in Moſe nihil deſidero, quod in Orpheo a Poëtis celebratur. Conſcripſit hic *Argonautica* ipſe Argonauta, vt habet Apoll. Schol. p. 2. & *Auguſta Iehouae Miracula ab orbe condito exorſa:* vt canit Ou. Met. L. X, 142.

A Ioue Muſa parens (cedunt Iouis omnia regno)
Carmina noſtra moue; Iouis eſt mihi ſaepe poteſtas
Dicta.

Nec non compoſuit Hiſtoriam expeditionis Diuinae Iſraëlitarum contra Titanas ſiue Gigantes Chamitas: vt ſtatim pergit idem Vates:

— — *cecini plectro grauiore Gigantes,*
Sparſaque Phlegraeis victricia fulmina campis.

Non ſecus ac reperimus Moſen compoſuiſſe Hiſtoriam Creationis ab orbe condito & expeditionis Iſraëliticae aduerſus *Enakim* & *Ogum* & *Sionem*, nec non ad *Tabeeram* fulminibus tactum populum, quam in Eligraeos immutauerat campos antiqua Graecia. Erat & ipſe *Argi* & *Arcae* fœderis comes & fidus & aſſiduus. De *Orpheo* etiam narrant: quod cantu & voce non modo *flumina* & *Arbores*, ſed & *Saxa* cum *Rupibus*, *Volatilia* coeli cum *piſcibus*

ad ſui nutum commouerit; vt loco memorat citato Ouidius & omnes antiquiores Poëtae: quae omnia ſolus inter mortales omnes fecit Moſes, vt non aegre verum dignoſcere Orpheum a ſuppoſititio poſſumus. Ad nutum enim illius, non vnius generis animantia Aegyptum inundarint partim e puluiſculis terrae enata, partim e mari loginquo appropinquantia. Flumina & aquae in ſanguinem verſa; *Tenebrae* obſcurarunt terras: vt canit idem Poëta —

Vmbra loco venit.

Rupes euomuere latices; *Volatiles piſces* ex Oceano euolarunt & *Alites* in deſertum, vt longa ſerie ex hiſtoria illius cum ſtupore non vt figmenta poëtica miramur, ſed vt veritates coeleſtes veneramur. Vt ne in hoc quidem Poëtarum fidem vapulare contendamus, quae huc vsque ſubleſta iacuit & inculta. *Tertium inter facinora Orphei* numeratur, quod ſerpentis ictu vulnerata illius coniux cum occideret, in Erebum deſcendens Maritus hoc pacto reuocauit morte damnatum ſi non retroſpiceret vnde exierat: Verum ſiquidem illa Rea voti flecteret oculos cum iam terrae vicina eſſet, protinus relapſa & in Erebum mortua decubuit: vt longo ordine fingunt Vates. Et figmentum certe diceres, niſi res a Moſe geſta hiſtoriam efficeret veriſſimam, Erat *Moſes vir illuſtris*, *Deus Aaronis*, & populo Iſraëlitico tam fidus tamque carus, quam vlla ſit *Coniux* ſuo marito: vt non mirandum, ſi Poëtae ex *Alumna* Moſis ſiue Gente Iſraëlitica fecere *Vxorem*, cum Hiſtoricus quidam ex Moſe fecerit alicubi *fe-*

minam, licet in illis etiam erat vxor Zipora, quae pariter ob hoc crimen in deſerto mortua eſt: vt coniicere poſſumus ex eo quod diu

At illa *Mixta per turbas*
Cum noua Naiadum comitata vagatur,
Occidit in talum ſerpentis dente recepto.

Vt luſit Naſo L. I. v. 8. quo in carmine luculenter exhibet gentem Iſraël cum ſuis *ſpeculatoribus*; qui terram obierint Canaan, cuius gentes ſub *noua Naiadum turba indigitat*; & inde reuertentes *Gigantum* mole & *Heueorum* (quorum nomen *ſerpentes* interpretatur) fortitudine quaſi morſibus ita perterrefecerunt, vt de Aegypto iterum cogitantes, in iram Dei incurrerint: teſte hiſt. Moſis Num. XIII donec in haec verba erumpit Iehoua. L. XIV, 12. *Percutiam eas peſte & diſpellam eum.* Vt taceam quod Deus ſerpentes illis immiſit in deſerto ob peccatum, quae morderent populum. Num. XXI, 6. Verum morti vicina & damnata ad Erebum Gens, Moſen reperit mediatorem, qui *Ad ſtyga Te auſus deſcendere porta*: & in *Erebum* ſub Orphei perſona dicitur ſubmeaſſe; quia in *Arabiae* deſerto haud procul *Stugio* flumine res geſta eſt; ibi enim verus veterum *Erebus* עֲרָב ſiue *Arabia*, nec non *Styx* amnis, teſte Philone; cfr. cap. de inferis. Et ſic *vicit Amor* Moſen, vt vitam Iſraëlitis expoſcere ſatageret. Num, XIV, 13-19. Et quoniam Exod. XXXII, 32. pro Iſraëlitis orans haec coram Deo habuit verba: *Attamen niſi condonare vis peccatum illorum, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Hinc more ſuo Coeleſtem Vatem imitatus Naſo, ait v. 38.

Quod ſi fata negant veniam pro Coniuge, certum eſt
Nolle redire mihi. Leto gaudete duorum.

Vt quam in ſabulis deſideramus fidem in hiſtoria deprehendimus? Noluit etiam Deus vt Iſraëlitae redirent aut reſpicerent in. Aegyptum, e quo eductos, terra promiſſionis beant, quod tangens Poëta egregie ſic habet.

Hanc ſimul & Legem Rhodopeius accipit Heros
Ne flectat retro ſua lumina; donec Auernas
Exierit valles; aut irrita dona futura.

Verum cum iam ad terminum Arabiae ſiue *Ereb* & *Erebi* prouentum erat, a ſpeculatoribus perterrefacti, iterum reſpicere Arabiae deſerta & Aegyptum anhelare coeperunt, vt habet Hiſtoria, Num. XIV, 4. *dicebantque alter ad alterum, conſtituamus caput & reuertamur in Aegyptum;* hinc capta occaſione ita luſit idem Vates v. 55.

Nec procul abfuerunt telluris margine ſummae
Hic ne deficeret (Num. XIV, 2. 3.) *metuens, auidusque videndi*
Flexit amans oculos & protinus illa relapſa eſt.

Adeo vt *nulli qui prouocarent Deum, videbant terram Canaan* Num. XIV, 23. ſed *Reuertimini & veſtro bono proficiſcimini in deſertum via ad Mare Algoſum* v. 25, *Et in deſerto cadent cadauera veſtra* v. 32. *& ibidem moriamini* v. 35. Et hinc in *Erebum* relapſa fingitur Eurydice, &

v. 58. *Brachia intendens prendique & prendere certans*
Nil niſi cedentes infelix accipit auras.

Siquidem *peccata ſua* agnoſcentes Iſraëlitae cum iterum in *Terram* promiſſam *aſcendere ſatagerent, retuſi ſunt ad Chormam vsque* Num. XIV, 40 ad finem. Atque ita apparet etiam cur fingant Poëtae Orpheum adiiſſe Inferos & Erebum, quoniam vt ſuo Capite monſtrauimus ערב Ereb & Arabia eadem regio erat, licet ipſum nomen gentis ignotae impoſuerit Graecis. Habemus itaque Orpheum in Moſe genuinum, quorum etiam *Mors fabuloſa* coincidat, nec diſſimilis ſub fabularum integumento enitet. Aiunt enim illum a rabidis mulieribus neci traditum Lyramque eius in Hebro ſeruari, quae res cum exitu Moſis non inconueniens eſt: ſiquidem ille furore perciti Iſraëlis denique in incredulitatem delapſus eſt & propterea a Deo protenus ad mortem damnatus. Num. XX, 12. XXVII, 14. Deut. I, 37. XXXII, 2. Et diu poſt *Lyra illius* (per quam arca merito intelligatur) inter Hebros aut Hebraeos ſeruata eſt. Nam vti per *Lyram* indigitarunt Poëtae *Arcam*, quae variis etiam inſtrumentis Muſicis inſtructa fuit; ita non immerito *Baculum* illius paſtoralem, quo potiſſima miracula fecerit in *plectrum* commutarunt. Et quemadmodum *Orpheus inter Argonautas initiorum ſolus erat particeps; qui in ſummo diſcrimine Votis Deum placare poſſet* teſte Diod. L. IV, 44. ita Moſes inter Iſraëlitas ſolus erat in omni periculo mediator, & cui licitum fuiſſet, in tentorio conuentus peccata & mala populi coram Deo deprecari Hinc etiam factum, quod fabulantur Poëtae, *Orpheum ab Argonautis in ſocietatem receptum, vt dux itineris eſſet, cum antea loca peragranda inuiſerit,* quoniam & Dux Iſraëlita-

litarum conſtitutus fuiſſet, & ante per deſertum in Midian penetrauerat, inque illa Regione Paſtor Armenta circumegerit. Nihil itaque in tota fabula ab Orpheo diſtinguit Moſen, niſi cuiquam morem iniiceret, patrius ortus: Thrax enim fuiſſe fertur, & Thracia toto coelo a Palaeſtina & Aegypto diuerſa eſt. Verum enimuero qui ſanus Auctorem Hiſtoriae Creationis mundi & Virum omnium ſapientiſſimum, & Vatem celeberrimum, & Argonautarum diuiniſſimum, ex rudi & inculta Thracia eruere aut ſperare vellet? *Thracem* itaque dixere Poëtae, non quia haec illi patria fuit: ſed quia vltimus & primus inter proauos eius conuerſos ac vere pios erat *Thraicus*, Gen. II, 31. Et hinc Thracem ſiue Tharacem vocarunt Moſen vti & Ebraeum v. 16.

§. XI.

Tertius in celebri hac ſocietate erat ſacerdos ſummus *Idmon*: quem conſpicue Aaronem eſſe deprehendimus; de illo haec habet Val. Fl. L. I, 228.

— *ſed enim contra Phoebeius Idmon*
Non pallore oris, non vllo horrore comarum;
Terribilis, plenus fatis Phoebusque quietus
Cui genitor tribuit monitu praenoſcere diuum
Omnia, ſeu flammas, ſeu lubrica cominus exta,
Seu plenum certis interrogat Aëra pennis.

Summi ſacerdotis officia inter Victimas & Aras egregie exprimit. Et niſi fallor *Idmon*, quod Graecis ſonat *Peritum* & *Callidum* commutauit vetuſtes ex ערום *Arom* vnde Aron, quod itidem ſonat *Aſtutum* & *Callide ſapientem* ex ערם, *calliditate vſus fuit*. Hoc etiam notatu dignum; quod hic

Idmon

Idmon apud Poëtas fati ſui ac mortis praeſcium fuiſſe, non ſecus ac *Aron*, cui Deus praedixit horam locumque obitus. Num. XX, 24. 28., qua de re ita Val. Flac. L. V, 1.

Altera lux haud laeta viris emerſit Olympo
Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon
Labitur. Extremi ſibi tum non inſcius aeui.
At memor, Aeſonidis nimium iam vera locuti.

Et Apoll. L. I, 139.

Imon nouiſſimus acceſſit, qui,
Ex auguriis nouerat ſuum fatum.

§. XII.

Quartus inter Comites erat *Phineas.* Apoll. Lib. IV, 251.

Ibi autem Iaſoni ceterisque heroibus
Venit in mentem Phineus, qui
Alium curſum ex Aea praedixerat.

Ipſum illius nomen alludit quam proxime ad vocem *Pineas* vel *Phineas*, qui pronepos Aronis & ſummus ſacerdos fuit, etiam in hac expeditione & plurima vaticinia tractauerat, vt de eo dubitare non poſſumus, nec de ſociorum Quinto *Telamone*, qui חור *Hur* erat fidus *Achates* Moſis, quorum vtrumque nomen, illud Graece hoc Ebraice *Vinculum* ſiue *ligamentum* denotat. De hoc *Hercule* autem ſiue *Ioſua* ſuo peculiari capite Part. II agimus.

§. XIII.

Et hi praecipui & famoſiſſimi duces fuere. *Moſes, Ioſua, Aron, Pineas* & *Hur*, ſiue Mopſus vel Orpheus, Iaſon vel Hercules, Idmon, Phineus & Telamon. Verum raro dux ſine grege, imperator

tor ſine militibus. Ergo & in hac expeditione merito deſideramus copias, ſed & has nobis ſuppeditat Veterum Hiſtoria: imprimis Diod. L. I. c. 42, qui poſt duces: *Atalantam Shoenei filium* exhibet; quam ſiue feminam ſiue Populum putas Gens eadem eſt *Iſraëlitica*; quid enim alias Virgo inter viros ſola, mulier inter arma bellica, femina inter ignes & enſes? niſi pellicem facias ducum, quod ab illorum virtute & ipſius virginitate abhorret. Erat ergo illa *Iſraëlis gens*, vt nomen clare aperit. Nam vt *Atlas Iſraëlem* notat, cum vox Atlas ſiue cum aſpirato *Athlas* Graece notat idem quod *Iſraël Ebraice*, ſcilicet *Athletam*: ita *Atalanta* cum eadem Iſraëlitarum gente ſine tortura coincidit. Hinc *Schoenei filia* fertur in *Scyro*: quaſi dixeris *Sionis filia* in Syria. Zach. IX, 9. vel vt aliis placuit hoſpes *Arcadiae* fertur & quidem *Iaſi filia* Ouid. L. I. Art. Amand. *Arcadia* enim ex *Arcan* Canaani filio regio erat Cananea quam Iſraëli tradidit Deus, & non incongrue *Iaſi* filia perhibetur, cum pauliſper ex barbaro mollius immutato nomine, *Iſaci* progenies erat Iſraëlitica gens, & poſt *Iſraëlem* primum agnoſcit Parentem *Iſacum* ſiue mauis *Iaſum*.

§. XIV.

Verum adhuc mihi quid praeclari videris deſiderare in hac diuina expeditione. Quod tale eſt vt hunc populum non modo ſuo in commilitio bearit, ſed & ſegregem a cunctis vndique gentibus fecerit. *Dioſcuri* ſiue *Dioſcurides* illi ſunt Caſtor & Pollux: qui qualia fuere Numina in hoc tempus latuere. Diod. L. IV, 42. *Tum*, inquit, *naui deducta, cunctisque ad vſum neceſſariis mirifice ador-*

nata ex omni illorum numero quibus vna proficiſci animus erat ſpectatiſſimum delegit ad quatuor omnino & quinquaginta, inter quos clariſſimi Caſtor & Pollux, Hercules & Telamon, Orpheus & Atalanta Schoenei filia. In quibus paucis multa egregia denudat. I. quod vtenſilia & viaticum ac inſtrumenta neceſſaria, non ſueto more, ſed *Mirifice* comparauit; cum & exitus & tranſitus ab Aegypto plenus erat, vt vel ex Argento & Auro ab hoſtibus comparato liquet. II. *Innumera* erat turba, cui 45 duces ſiue iudices praefuere: quo numero ad 70 Seniores a Moſe conſtitutos, lapſa licet memoria, reſpicit. III. *Summum* in his ſpectatiſſimumque Virtutis Diuinae Miraculum emicaſſe in *Dioſcuridibus Caſtore & Polluce* monet, quos cum alii *Sidera*, alii *Equitum domatores*; alii *Nautae*, alii *Ignes* ſiue *fulgores Marinos*, alii *Mortales*, alii *Immortales* fecere. Nemo mihi iraſcatur, ſi ex euidentiſſimis indiciis ego Pollucem & Caſtorem ſiue Dioſcurides haec omnia fuiſſe arbitrer. Adeo vt ſub hiſce Nominibus nihil aliud indicare voluerit Luſitans Graecia, *quam vtrasque Columnas Igneam & Nebuloſam*, quae Iſraëlitas per Mare perque deſerta Arabiae aſſidue comitabantur, quo de miraculoſo ſocio ita Moſes Ex. XIII, 21. 22. *Iehoua vero antecedens eos interdiu in Columna Nubis ad deducendum eos via illa, & noctu in Columna Ignis ad afferendum eis lucem —— Nec amouit Columnam illam Nubis interdiu, aut Columnam illam Ignis noctu a conſpectu populi.* Vocatur etiam geminum illud Aſtrum Angelus Dei. C. XIV, 19. *Tum profectus angelus ipſe Dei, qui antecedebat*

Caſtra

Caſtra Iſraëlitarum. Nam profecto columna ſtabat a tergo quamdiu Mare Rubrum pertranſierint. Hinc factum, quod haec *Sidera* olim felicia fuiſſe nauigantibus memorant: Coelius Rod. Lib. X, 6. ex antiquis hanc refert Hiſtoriam. *Antiquitas credidit, hos ſalutares eſſe nauigantibus, ſi ſimul apparerent. Apparent autem ignis ſpecie malo antennarum inſidentis.* Nam hoc vtique ſalutare omen erat Iſraëlitis per mare Rubrum pedibus nauigantibus, quod *leboua proſpectaret hoſtes eorum in Columna ignis* & nubis. Ex. XIV, 25. Ante tranſitum enim ingens erat diſcrimen inter Iſraëlitas cingentibus a tergo Aegyptiis. Euro autem vehemente tota nocte flante, aperta eſt via, cum Moſes Deo cariſſimus & ſacris eius initiatus voto precibusque factis & extenſo baculo opem imploraret; quae protinus emicantibus columnis aderat vt notanter legimus Ex. XIV, 10. 15. 19. ad 25. Et hoc Miraculum depingit ſuo more Diod. L. IV, 44. *Inde graui periculo & tempeſtate cum vexati de ſalute proceres deſperabant, Orpheus (Moſes) Initiorum ſolus inter nauigationis ſocios particeps, Diis votum fecit. Tum ventis confeſtim pacatis duo ſidera Dioſcurorum capitibus non ſine videntium ſtupore illapſae finem periculi Deorum prouidentia iam depulſi fecerunt. Hinc per traditionem mos apud poſteros inualuit, vt quos procellae magis agitant DEOS Samothraces in vota vocent & ſi modo Stellae apparent Caſtoris & Pollucis praeſentiae haec adſcribant.* Quid praeclarius in rem & propius ad veritatem Biblicam, ſi modo Deos in Deum immutes. Heic vocantur Caſtor & Pollux *ignita ſidera*, quia Co-

lumna ignea inſtar ſideris procul dubio eminuit. Apud Suidam vero claris verbis nec homines fuiſſe nec ſidera, ſed *Statuae* & *Columnae* vocantur. Sic ille: Dioſcuri Caſtor & Pollux, Aeliano, & quidem Dioſcurorum binae erant ſtatuae; quarum geminam faciem, quam *igneam* tam *nubis*, non obſcure prodit Vall. Flac. Arg. L. I, 568.

Dixit, & ingenti ſtammantem nubila ſulco
Direxit per inane facem, quae puppe propinqua
In bifidum diſcuſſit iter, fratresque petiuit
Tyndarios; Placida & mediis in frontibus haeſit
Protinus amborum, lumenque innoxia fudit
Purpureum, miſeris olim implorabile nautis.

Vt Poëta miſcet vera nugis, qualia acceperat ex rumore veterum: hinc alibi has ſtatuas vocat *Signum Coruſcans*, poſtque confectam Argo ſiue Arcam, haec luminaria ſiue columnas appellat *fulgens tutela carinae* l. c.

Viſa coronatae fulgens tutela carinae
Vocibus bis inſtare duci. L. IV, 190. *Os ſidereum.*

Nam audiuerunt gentes Te Iehouam, in medio populi huius, quia Tu Iehoua oculo conſpiciendus appares, quod Nubes tua reſidet ſuper illos ac in columna nubis antecedis eos die, & in columna ignis noctu. Sed e longinquo accedens miraculoſa fama non potuit non paullatim corrumpi, vt inter Nugas miracula, inter ſcorias aurum emergit. Nam quod ſtatis mutatisque vicibus columna nubis & ignis die nocteque praecederent Iſraëlitas, adeo vt cum euaneſcerent *Nubes*, apparente veſpera,

ignis

ignis emicuit: igne iterum exſtincto, oriente ſole condenſata eſt nubes; id etiam ſuis verſibus aemulatur Virg. Aeneid. L. VI, 121.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit
Itque reditque viam toties.

Finxerunt enim Poëtae, ita amaſſe inter ſe fratres, vt nihil coniunctius fuerit, quare intereunte Caſtore Pollucem a patre Ioue impetraſſe, vt conceſſam ſibi ab ipſo immortalitatem cum fratre communicare, liceret. Inde factum, vt ſtellae Caſtorum: recepti enim vterque inter ſidera fuere, orirentur alternis atque occiderent: vt conſentiunt hac de re Mythologi & Pindarus Nem. Od. X. ſt. 4. Hom Lib. X, 299. Heic merentur obſeruari, quod *Pollux* (quae vox notat *multiflammeum*) ſiue ignis ſacer a Ioue *immortalitatem accepiſſe* fertur. Nam erat illi ignis coeleſtis, vt & qui in Ara a Sacerdotibus conſeruabatur, & *immortalis* eſſe debuerat, nec vnquam exſtingui, e coelo enim lapſus acceſſit. Quia vero in Mari Rubro apparuit, hinc Dioſcurides fuiſſe ignes ſeu fulgores marinos aiunt. Alii *ignem praecedentem* volunt & *ſequentem*: quia procederet & ſequebatur agmen Iſraëlitarum. Neque a vero errant, qui fatentur *Caſtorem* fuiſſe domitorem equorum & Pollucem egregium pugilem. Horat. Lib. II. Sat. 1.

Caſtor gaudebat equis ouo prognatus eodem
Pugnis.

Ouid. L. IV. Faſt.

Tyndaridae fratres hic eques ille pugil.

quia *in tranſitu maris Rubri e columna Nubis & Ignis proſpiciens Iehoua ad caſtra Aegyptiorum, fecit vt funderet caſtra Aegyptii, ablatisque rotis curruum eius duceret eum tarde; quamuis diceret Aegyptius; fugiam a conſpectu Iſraëlitarum, nam Iehoua pugnat pro eis contra Aegyptios. — Et ſic reuertentibus aquis, operti ſunt currus eorum & equites cum omnibus copiis Pharaonis.* Ex. XIV, 24. 25. 28. Euerſis enim equitibus alter *Eques victor* dictus, & debellatis copiis caſtrisque alter *Pugil victor* fictus eſt. Et quos millies Poëta dixit *homines;* hos non immerito inter *Deos* retulere omnes. Et *Iouis* filios celebrant, quia aut *Angeli* erant *Dei*, aut a ſolo Deo miraculoſe apparuere. Quorum nomina alterum Hebraeum, alterum Graecum eſt: *Caſtor* enim compoſitum eſt a חזיז *Chaſis*, nubes & טור *Tur*, ſeries, cumulus, l. mons, Chald. vnde חזיטור *Cumulus* vel *Mons Nubis*. *Pollux* vero, vt & *Polydeuxis* Graeca vox eſt, & ſignificat *Multiflammeum*, vt erat *Columna Ignis*. Sed *Dioſcurides* dicebantur h. e. *Filii Dei* & *Progenies diuina*, quia ſic Iehoua iubente hos habuere comites, duces & propugnatores Populus Iſraël, vt canit Val. Flacc. L. IV, 667.

- - Pendet magnis fauor ortus ab auſis
Prima coruſcanti ſignum dedit aegide Pallas
Fulmineam iaculata facem &c.

§. XV.

Et haec fuere munimenta Argonautarum, hi duces, hae copiae, ſcilicet Dioſcurides, Iaſon cum Moſe, & Atalanta. Iam itineri accinctos ſequamur in *Aeam*, vt prodeat aliquando *Aureum Vellus*

tot

tot curis in hunc vsque diem deſideratum. In primordio autem imprimis notatu dignum iudico, quam incerti de omni hoc itinere fuere Graeci, adeo vt inter X. Poëtas vix binos reperies conuenientes. Et ſiquidem res vetuſtate tecta fuit, & miracula vndique hiſtoriam vrgebant, quid pro vero aut falſo eximerent, ambigui fuere. Nec tamen quidpiam intentatum reliquit audacia; adeo vt memoria prodant Argonautas per Iſtrum in mare Adriaticum, interrupta quaſi ſtolide natura, transiiſſe. Vide Apoll. L. IV, 282. Ad quem locum illius Scholiaſtes varia veterum commenta congerit hiſce verbis. *Dicit Apollonius Iſtrum ex hyperboraeorum oriri montibus & Riphaeis & inter Scythas & Thracas ſcindi, vt alterum cornu in noſtrum mare extendatur, alterum vero in Ponticum; Et illud in Adriaticum ſinum. Scymnus vero libro XVI de Europa dicit Iſtrum ſolum ex ſolitudinibus & deſerto oriri. Riphaeos autem montes in Oriente ſtatuit Callimachus. Eratoſthenes vero L. III. Geog. dicit eum ex deſerto fluere & circumire Inſulam Peuceri. Nemo vero ſcit quomodo Argonautae per hunc nauigantes in noſtrum mare peruenere praeter Timagetum, quem ſecutus eſt Apollonius. Scymnus autem dicit eos nauigaſſe per Tanaim fluuium in mare magnum & illinc in mare noſtrum perueniſſe. Et tradit quomodo Argonautae venerunt ad terram continentem & haſtis portarunt nauem Argo, vsque dum in mare venerunt. Heſiodus autem dicit eos per Phaſin nauigaſſe, ſed Hecateus redarguit eum.* Qui non ex hoc teſtimonio diſcordiam cernit Auctorum de via & reditu Argonautarum. Alter alterum

terum in Geographia perſtringit. Tutiſſime itaque me facere video, ſi nomina locorum omiſerim & tantum miracula rerum geſtarum ſequor. Haec enim quia *miracula* fuere, ergo facile loca, in quo edita, aperiunt. *Illa* vero quia a Graecis ficta, non poſſunt non ignota eſſe. Cum alii aiunt Argonautas nauigaſſe *Phaſin Colchorum*: alii non. Hic eos per *Iſtrum* penetraſſe contendit; Illi refutant. Coniectura eſt facilis, quod tempore Poëtarum periit priſca *Aea Colchica*, interiit Tanais, incerti montes Riphaei; nec quae continens, per quem nauim portarint, ſcitum eſt: nec quale *Nauigium*. Vnde ſciſſam in partes viam pariter & hiſtoriam non miremur. Cum ne hodienum adinueniretur niſi nobis Cynoſura ſit *Hiſtoria* Sacra Moſis & Ioſuae, qui ipſi expeditioni interfuere.

§. XVI.

Miſſa itaque ſerie confuſa Poëtarum, quodlibet factum ſiue miraculum, vt ſuo tempore factum, vti & quasuis Regiones ſenſim peragratas; ſuo ordine luculenter & ſuccincte perſtringam. Vt domo exeuntes Argonautas & ab Aea redeuntes cum Aureo Vellere poſtliminio inueniamus. Ac proinde, vt ab ouo incipiat fabula; ſi Argonautarum facinora cum Iſraëlitarum miraculis conueniunt, non eſt, quod dicamus eos e *Graecia* prodiiſſe, ſed e *Terra Canaan*, quae patria erat *Iſraëlis* & ex qua Iſraël cum ſuis filiis in Aegyptum tranſiit. Erat numerus exeuntium, teſte *Moſe* LXX: Gen. XLVI, 26. 27. ſed Stephanus facit LXXV: Actor. VII, 14., quos Diodorus L. c, facit LIV., quorum in-

re vetuſta lapſus facilis eſt. Et ſi ſolos cum Iacobo exeuntes animas viriles computas, erant LXIV: quem fortaſſis numerum in vetuſtis exemplaribus habuit olim Diodorus. Et hic non Graeci erant: nec eſſe potuere, quia *Graecia* eo tempore nondum erat in toto orbe agnita. Recentius enim eſt *Graeciae* nomen, quam vt tantam toleret vetuſtatem. Fallunt itaque omnes, qui Graecos faciunt. Illi vero propius ad veritatem accedunt, qui *Pelasgos* fuiſſe contendunt, vt eos appellant omnes antiqui. Hinc Ouid. Met. L. VII, 133.

Demiſere metu vultumque animumque Pelasgi.

Et nauem appellat *Pelasgaeam* v. 1, quia patria eorum erat *Pelasgia*, in quam Medea ſe aliquando cum Argonautis, domum redeuntibus, venturam ſperabat hoc verſ. 48.

—— —— Tibi ſemper ſe debebit Iaſon.
Te face ſollemni iunget ſibi perque Pelasgas
Seruatrix vrbes matrum celebrabere turba.

Non tamen ſic vocantur quia re vera *Pelasgi* erant, ſed quia Regionem *Pelasgam* deinceps occuparunt, & aut vicini aut domini facti fuere. Hinc licet ipſe *Pelasgus* fertur Iaſon, Pelasgorum odio tamen tenebatur, vt liquet ex verbis eius apud Val. Arg. L. II, 664.

—— —— Vtinam nunc ira Pelasgos
Efferat & ſolitis tentent concurrere furtis,
Cunctaque ſe ratibus fundat manus: arma videbis
Hoſpita nec poſt hanc vltra tibi proelia noctem.

Vt erat inter Iſraëlitas & Pelasgos infenſiſſimum odium & in eadem terra fuere *Vicini* pariter & *hoſtes*. Graeci vero Poëtae vocant Graecos *Pelasgos*; quia expulſi Pelasgi & extorres in Graeciam commigrarunt; quorum tamen *prior* ſedes & patria erat Terra Canaan, eademque quae Philiſtaeorum dicitur, vt ſuo capite monſtratur. Vnde Arcadia Pelasgis dicebatur a Rege Pelasgo. Cum *Arcas* in terra Canaan reſidebat, quae Palaeſtina inde dicta ex *Pelaſchim* filio Mizraim Gen. X, 14. Et ſic etiam per anticipationem Argonautae dicti *Pelasgi*, quia deinceps totius Pelasgiae domini facti ſunt. Vbi *Pelaſcim* ſedes habuerint, & vnde prodierit Patriarcha Iacob cum Argonautis filiis in *Aeam* & poſt quoddam tempus obtinuerit *Vellus Aureum*.

§. XVII.

Vnde egreſſi Argonautae & cur *Pelasgi* dicti, vidimus. Nunc Aeam inueſtigare proximus labor erit. Ipſa Regio Aeaee dicta; vrbs vero Aea. In Colchide ad Phaſin reiiciunt Poëtae, ſed ibi talis inſula naturae nota non eſt. Et forte ex voce Aeaea fecere ipſi *Inſulam*. Verbo itaque *Aeaeam Colchicam* non eſſe aliam, quam Aie-Caphtor putarim; nomen congruum eſt & leuiter corruptum; & gens eadem; adeo vt *Aie-Caphtor*, Aegyptus & *Aie Colchica* rem vnam denotet. Prodiere *Pelasgi* ſua colonia ex *Aie-Caphtor*, teſte Amos. IX, 7. Gen. X, 14. Deut. II, 27. Ier. XLVII, 4. *Pelaſchim* vero erat filius *Mizraim*, Gen. X. qui cum ſuis filiis Aegyptum occupauerat, & quidem ita, vt Pelasgus videatur inhabitaſſe Regionem Aie-Caphthor in eadem terra: ex qua deinceps totum Regnum

dici

dici coepit *Aigyphthus* & *Aegyptus.* Promiſcue etiam vocabatur regio illa Pelasgorum vel *Aie-Caphthor* vel ſolum *Caphthor*, vnde in Aegypto nonnullos incolas Copthos vocat Ortelius & Iudaei in Talmude כפתי, cit. A. Abel in Hiſt. Orb. Ant. p. m. 101. & p. 103. *Originem ipſius appellationis in* איי כפתור (Aie-Caphthor) *inſulis Caphthor quaerendam arbitror, vti Ebraei inſularem Aegyptum Nilo cinctam vocare ſoliti fuerunt, ſqq.* & hanc rem euidentiſſimis deinceps argumentis idem Abel probatum it: vt de eo non amplius eſt locus dubitandi. Et quaeſo vnde *Pelaſcim* filius exiret niſi a Patre *Mizraim* ſiue *Aegypto*? At illi *Aie-Caphthor* Aegyptum exprimit, ita & hinc Poëtae ſuam cenſendi ſunt habuiſſe *Aeam* & Aieam. Et erat illorum Aeaee veterum Ajeyptus, in quam Argonautae domo exeuntes commigrarunt.

§. XVIII.

In Aeaeem ſiue Aie-Caphthor vel ſi mauis Aegyptum accedentes, ſumma humanitate a Rege Pharaone excepti ſunt, vt teſtis eſt Moſes. Et hunc hoſpitalem animum contigiſſe Argonautis Vall. Flac. L. II, 636. ad finem, a *Cyzio* Rege; ſub cuius nomine Pharaonem deſcribit:

— — — *Rex diuitis agri*
Cyzius, Harmoniae qui tum noua ſigna carinae
Vt videt, ipſe vltro primas procurrit ad vndas
Miraturque viros dextraque amplexus & haerens &c.

Cfr. etiam quae ſequuntur & benignitatem Pharaonis dignoſces: verum vti ſub eodem Pharaonis nomine

mine deſcribit Moſes Tyrannum, qui opibus Iſraëlitarum inuideret eosque occidere ſatageret, ita Vall. Flac L. III depingit ſub eodem Cyzii perſona contentionem nocturnam inter Argonautas & illum, qui noua Erinny percitus

— — *ingenti praedae deceptus amore*

armis e portu tamquam hoſtes eiicere tentabat. Qui concentum vbique mirificum deſiderat, adeat ipſum Valerium, cuius prolixam fabulam deſcribere non licet nec vacat.

§. XIX.

Praeter inuidiam opum & timendas Iſraëlitarum diuitias tam multitudine gentis quam poſſeſſionum alia etiam cauſſa erat irae Pharaoniticae; ſcilicet quod Moſe petierat, vt demitteret omnes Iſraëlitas cum opibus ſuis in deſertum, vt tamquam in templo *feſtum Iehouae* celebraret. Quod nolens Pharao maiori ira in populum Dei accenſus eſt. Ex. X, 8-11. 24-26. Et hoc imitantes Poëtae eandem adferunt irae cauſſam Aeaetae Regis in Iſraëlitas ſiue Argonautas. Ouid. Met. L. VII, 7.

Dumque adeunt Regem, Phryxeaque vellera poſcunt,
Voxque datur Minyis magnorum horrenda laborum &c.

Et Vall. Flac. L. VII, 26 ſq.

At ſua longarum Minyas iam cura viarum
Admonet, inque ſuo nequidquam tempore Regem
Laetitiae meritique petunt; quem paſſus Iaſon
Vota prius captasque Deis accendere praedas.

Pro-

Prominet atque oculos longe tenet; aurea ſi iam
Pellis & oblatis clareſcant atria villis.
Ille autem iamiam vultus vocesque parantem
Ante aperit: rumpitque moras inque ipſa morantis
Proſilit ora viri talique effunditur ira
Orbe ſatos alio, ſua litora regnaque habentes
Quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras
Quisque mei tantus amor? Tu prima malorum
Cauſſa mihi ——

Et ſtatim iracunde furit ita v. 43.

Quinquaginta Aſiam, (pudet heu), penetrauit Iaſon
Exulibus? Meque ante alios ſic ſpreuerit vna
Vna Ratis, ſpolium vt viuo de Rege reportet?
Ipſum offerre meos, ipſum me pandere lucos
Imperet & nullo dignetur vincere bello? &c.

Noluit Tyrannus, vt in lucum diſcederent Argonautae ad tollendum Aureum Vellus tamquam templo expenſum, non ſecus ac Pharao noluit dimittere populum Iſraël in *deſertum* quaſi in *Templum Sinai* ad accipiendum Aureum Vellus, vt poſtea oſtendetur.

§. XX.

Porro dum Poëtas conſulimus duo prodigia ſiue Monſtrorum quaſi genera prius Argonautis eſſent ſuperanda, quam Aureus Vellus conceſſum fuerit. Alterum erat *Tauri* igniuomi, alterum horrendus *Draco*, de quibus ſtatim, cum ante Medeam, quae in omni hoc pericula ſola rem totam confecerit, ad

Hiſtoriae ſeriem redigerimus. Quid alii de Patria & Perſona Medeae fingunt ſuis relinquo ſcriptoribus, & protinus edico ſub *Medeae* Perſona & nomine *gentem* indicari *Iſraëliticam.* Verum non protinus vitio mihi id vertas, quaſi ex omni femina Iſraëlitas facere, vt qui ex omni fabula fecerit Moſen. Verbo, erat *Gens* Iſraël vna ſed non ſemper *eadem.* Poëtis alia intrauit Aegyptum & *Pelasga* dicta eſt; alia exiuit & *Medea* vocata. Alia legem a Moſe ſiue Minoë accepit & *Minya* nominatur. Alia Arcam fabricauit & *Argonautae* nuncupati. Alia Mala Heſperidum ſuſtulit & *Amazones* facta. Alia Gigantes Cananaeorum ſtrauit & *Minerua* ſalutata eſt, non ſecus ac dux illius *Moſes* exercitum ex Aegypto educens dictus eſt *Seſcoſis*, legem a Deo accipiens *Minos*, miracula faciens ſuo ſcipione *Abaris* & per Erebum tranſiens *Orpheus.* Erat gens vna & vnus dux, ſed ob varia fata nomina varie immutarunt.

§. XXI.

Medea itaque gentem Iſraëliticam primo exprimit *Proditione* Patriae ſuae ad quam ſollicitata ſe ait peculiari quodam numine. Sic ſecum fatur apud Ouid. Met. L. VII, 51 inter cetera

> *Ergo ego germanam, fratremque patremque Deosque,*
> *Et natale ſolum ventis ablata relinquam?*
> *Nempe Pater ſaeuus, nempe eſt mea barbara tellus,*
> *Frater adhuc infans: Stant mecum vota ſororis.*

Maxi-

Maximus intra me Deus eſt. Non magna relinquam;
Magna ſequar; &c.

Quis non videt haec omnia conuenire cum facinore Iſraëlitarum. In Aegypto natis Aegyptus erat *natale ſolum*; *Pater* Rex Pharao, ſed ſua tyrannide *ſaeuus*, & ipſa *tellus* ſaltem religione abſurda fuit *barbara*. Ergo magno Deo concitata gens ſolum vertere conſtituit, magna quidem relinquens; ſed ad maiora adſpirans. Patriam itaque ſuam genuinam X plagis proditam & cruciatam deſeruit, ſequens Iaſona ducem; & ſic cum illo ad Pelasgos rediit. Porro Iaſonem, vt Vellus Aureum occuparet, incantationibus ſuis adiuuiſſe fertur v. 29.

At, niſi opem tulero, taurorum afflabitur ore,
Concurretque ſuae ſegeti, tellure creatis
Hoſtibus, aut auido dabitur fera praeda draconi.

Salutatur enim inſignis Venefica, quae flumina ſiſtere, dracones ſopire, ignes compeſcere, & verbo, terram coelo miſcere valeret. Qualia facinora cui potius genti, quam Iſraëliticae, adſcribas: quae X miraculis, in Aegypto & innumeris poſtea editis non potuit non pro Venefica prorſus famoſa haberi, quaeque ſuis incantationibus, tot coeleſtibus factis in conſpectu multorum hominum, virtutem ſuperare humanam longe videbatur. Nam cum miracula Dei non percepit gens incredula Aegyptiorum, ad Magicas incantationes omnia retulere, & protinus ſparſo inter vicinos rumore veneficam celebrauit. Egregie etiam in rem memorant Veteres, Medeam denique a Iaſone repudiatam

tam fuiſſe; ſiquidem in deſerto aduerſum Ioſuam murmurans Iſraëlitica Gens, quae ex Aegypto exiit, a Deo ita punita ſit, vt cum Iaſone vel Ioſua in terram patriamque promiſſam introire ei non permitteretur. Num. XIV, 15. Quomodo vero Tauros igniuomos & Draconem compeſcuerit ſuis incantationibus, iam dicetur, cum in anteceſſum *Medeae* nomen cum Iſraëlis concilietur. Μεδέω graecis & *Rego*, potens ſum & valens dominio, vt שר *Sar* Ebraei Rex, & *Iſraël* viribus potens. Geneſ. XXXII. nec veneficiis minor. Ita ſua enumerat prodigia Ouid. Met. L. VII, 199.

1) *Quorum ope, cum volui, ripis mirantibus amnes*
2) *In fontes rediere ſuos, concusſaque ſiſto,*
3) *Stantia concutio cantu freta, nubila pello,*
4) *Nubilaque induco, ventos abigoque, vocoque*
5) *Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,*
6) *Viuaque ſaxa, ſua conuulſaque robora terrae*
Et ſyluas moueo, iubeoque tremiſcere montes,
7) *Et mugire ſolum, maneſque exire ſepulcris.*
8) *Te quoque Luna traho; currus quoque carmine noſtro*
9) *Pallent, ac pallet noſtris Aurora venenis.*

§. XXII.

Duo inprimis grandiora facinora prius tam Iaſoni quam Medeae eluctanda fuere, quam Aureum Vellus illis exhiberetur: quorum poſterius erat Par Tau-

1) Ioſ. III, 15-16. 2) Exod. VII, 17. 3) XIV, 21. X, 22. 4) X, 23. 13. 19. XIV, 21. 5) IV, 3. 4. VII, 10. 6) IX, 23. 7) XIX, 18. XX, 18. 8) Ioſ. X, 12. 13. 9) Iud. V, 20.

Taurorum ignem naribus efflantium. Et horum ignem compeſcere & exercere neceſſum habuit Dux Argonautarum, priusquam tuto ad praedam expetitam transire liceret. Fabulam his locis ita miſcet Val. Arg. L. VII, 62.

Martius ante vrbem longis iacet horridus annis
Campus & ardentes, ac me quoque vomere preſſo
Me quoque cunctantes interdum agnoſcere Tauri.
—— —— —— ſolito ſuperbior ignis.
Ore fremit. & v. 567.
Ac velut ex vna ſi quando nube coruſci
Ira Iouis torſit geminos mortalibus ignes
—— Sic tunc clauſtris euaſit vterque
Taurus & immani proflauit turbine flammas
Arduus atque atro voluens incendia fluctu.

At breuiter Ouid. Met. L. VII.

Ecce! adamantes Vulcanum naribus efflant
Aeripedes tauri, tactaeque vaporibus herbae,
Ardent: vtque ſolent pleni reſonare camini,
Aut vbi terrena ſilices fornace ſoluti
Concipiunt ignem liquidarum aſpergine aquarum;
Pectora ſic intus clauſas voluentia flammas,
Gutturaque vſta ſonant. Tamen illis Aeſone natus
—— —— —— ſubit ille nec vllos
Senſit anhelatus: tantum medicamina poſſunt.

Bina heic miracula praecipue conſideranda: prius quod inſtar fulminis ignis miraculoſus in terris huc illucque ſaliit emicuitque: deinceps quod licet obuia quaeuis & herbas & alia perderet: Iaſoni tamen non nocuit, quaſi peculiari medicamine illito. Ex quibus liquido conſtat fabulam exprimere miracula in Sinai inter Iſraëlitas edita. *Campus ardens* erat

Mons

Mons Sinai & deſertum igne Dei plenum, cum lex ederetur, ad cuius conſpectum grauiſſime tenebantur Iſraëlitae cfr. Ex. XIX. & ſeq. ad finem. Heic illaeſum ab igne Iaſonem habes, heic fulmina per terram aeſtuantia; heic etiam Taurum cernes, ſi modo memineris, Iſraëlitas, transito mari rubro, ſtatim ſubintraſſe deſertum hoc, vt habet hiſtoria, Ex. XV, 22.

§. XXIII.

Primum facinus erat, quo Draconem vellus aureum cuſtodientem collo tenuiſſe fertur, donec transiret. Iaſon in lucum, vbi vellus Aureum. Ouid. L. C. v. 149 rem ſic tangit

Peruigilem ſupereſt herbis ſopire draconem
Dentibus horrendum, Cuſtos erat arboris (arietis) *aureae*
Verbaque ter dixit placidos facientia ſomnos,
Quae mare turbatum, quae conſita flumina ſiſtunt
Somnus in ignotos oculos vbi venit, —— ——

Eandem etiam fabulam hinc inde in vnum coactam ſic habes a Val. L. VIII. & verſ. 69, quod Medea

Carmina barbarico fundens pede, teque ciebat
70.71. *Somne pater inque vnum iubeo nunc ire Draconem.*
72. *Quae freta ſaepe tuo domui, quae nubila cornu*
73. *Fulminaque & toto quidquid micat aethere* —
88. *Iamque altae cecidere iubae, nutatque coactum*
Iam caput, atque ingens extra ſua vellera ceruix

92. *Ipſa caput cari poſtquam Medea Draconis*
Vidit humi, fuſis circum proiecta lacertis.
Ait
95. *Non ego te ſera talem ſub nocte videbam*
Sacra ferens epulasque tibi: nec talis bianti
Mella dabam. —— & Iaſoni porro
109. *Quaerenti tunc deinde viam, qua ſe arduus heros*
Ferret ad Aurigerae caput arboris. Eia, per ipſum
Scande, age & aduerſo greſſus, ait, imprime dorſo.
Nec mora ſit dictis.

Heic plurima memoratu digna occurrunt. I. Quod *Draco* erat, quem transiret Iaſon. II. Quod Medea *magica arte & incantationibus* hoc Monſtrum domuit. III. Quod haec eadem Medea *Mare turbatum & flumina ſtitit, & nubila domuit.* IV. Quod Medea *collum Draconis* quamdiu transiret Iaſon ſuis corripuit lacertis & *bians* permanſit *os* illius monſtri. V. Quod *per ipſum Draconis dorſum* impune transgreſſus ad praedam peruenerit. Et profecto nihil propius ad Transitum Iſraelitarum per Mare Rubrum in fabula accedere poſſit. Nec mirare, quod Poëta *Draconem* vocat Mare Rubrum, cum paſſim ita in ſcriptura nuncupatur, & quidem ita, vt ſimul ſopitum domitumque fatentur & colla eius perfracta, & quaſſata capita memorant Prophetae. Eſ. LI, 9. 10. XXVII, 3. Pſ. LXXIV. 13, 14. Et quoniam hoc mari munitus Pharao erat, hoc ipſum Draconem vocat etiam Ez. XXIX, 3. confr. c. III. de Heſperia, & non tibi mirum erit, Poëtas

hoc

hoc mare vocaſſe Draconem. Erat enim idem *Draco* cuſtodiens Aureum Vellus & Mala Aurea: nempe Mare Rubr., inſtar ſerpentis, ſinum efficit inter Aegyptum & Arabiam. Et inde eſt, quod Medea fertur domuiſſe Mare & ſtitiſſe flumen, vt factum in rubri Maris tranſitu, quod Moſe & Ioſua ex iuſſu Diuino fecere, adeo vt cum *dicerent factum* eſt & illinc fixere verba magica & incantationes. Val. L. c. memorat etiam Hiatus in Dracone exiſtentis, quamdiu tranſiret Iaſon. Nam vti fert, *per dorſum ſcandit, quamdiu Medea collum Draconis teneret*, h. e. Iſraël in ipſo Maris alueo erat transiens. Et ſic fabulam habes cum hiſtoria prorſus congruam.

§. XXIV.

Verum vt vel cum taedio probetur, pertransiiſſe Argonautas Mare Rubrum, denuo rem ex poetis declarabimus: quae & memoratu digna eſt, vt appareat gloriam Iehouae in omnes emanaſſe terras ſecundum verbum Eius. Et primum quidem loca adducamus, quae monſtrant Pharaonem poſtliminio perſecutum fuiſſe Iſraëlitas. Deinde vt nubea Columna e coelo inter vtrumque exercitum diuiſit: & tandem, vt Mare tempeſtatibus actum viam aperuerit transeuntibus Iſraëlitis. Haec, inquam habent Argonautarum ſcriptores, licet non numquam interrupto ordine, quod mirari non poſſumus. Quocirca Val. Flac. Arg. L. VIII. ſub Abſyrti perſona ſtolidum Pharaonis conſilium in perſequendis Iſraëlitis ſiue Argonautis poſt exitum ex Aie depingit ita v. 260. ſequent.

— — — *ad Iſtri ripas morante Iaſone*

Ex.

Ex.XIV, v. 47.

Abſyrtus ſubita praeceps cum claſſe parentis

v. 5. *Aduehitur* —— —— ——

v. 291. —— —— *ſequiturque volantem*

- 6. *Barbara Palladium puppim ratis* — *donec*

- 9. 294. - *Vltimaque agnoſcunt Argoi cornua mali.*

- 7. 301. *Iamque alii clypeos & tela trabalia dextris*

- 7. *Expediunt, amant alii picis vnguine flammas,*

- 9. *Impatiens tremit haſta morae. Nec longius inter*

- 9. *Quam quod tela vetet, ſupereſt Mare vocibus vrgent*

(Scil. Suph.)

- 10-12. - 306. *Interea, & pedibus pulſant tabulata frementes.*

Lege, quaeſo, integram fabulam, & apparebit, vt exercitum ſubito conduxit Abſyrtus, vt nuper fugientem Iaſonem & Medeam inſequutus ſit irato animo: vt Minyae ſ. Argonautae, viſo hoſte, formidine perculſi ſint: & totam agnoſces Hiſtoriam exitus Iſraëlitici Ex. XIV, 5-12. Sed & miraculoſi auxilii Diuini in *Columna nubis* diuidente inter vtrumque exercitum mentionem facit Valer. Libr. c. 319.

Ex. XIV, 13.

Haud ita ſed ſummo ſegnis ſedet aethere Iuno

v. 14. *Haud ſinit extrema Minyas decernere pugna*

v. 15. *Nec numero quoniam Colchis nec puppibus aequos*

v. 16. *Ergo vbi diua rates hoſtemque accedere cernit*
v. 17-19. *Ipſa ſubit terras tempeſtatemque refringit*
v. 21. *Ventorumque domos —— —— claſſemSa-*
turnia monſtrat
v. 22. 29. *Videre inque imum pariter mare protinus*
omnes
Infeſto clamore ruunt & aduerſos ſtatuunt
a litore fluctus.
v. 330. v. 23. 24. - - - *vaſto rurſus deſedit hiatu*
v. 27. *Abrupta reuolutus aqua iamque omnis in*
aſtra
v. 28. *Itque reditque mare lapſoque vſi - - fluctu*
Deſcendit, trabit hos vortex hos agmine
toto
Gurges agit: ſimul in vultus micat vndique
terror.
Crebra ruina poli coeleſtia lumina laxat.

Notum eſt ſub nomine Iunonis Poëtas concepiſſe *nubem*; & ſic merito notamus in verſ. deſcr. I. vt *Iuno* ſ. *Nubis Columna*, e coelo deſcendens ſegregauit inter ambos exercitus. II. vt tempeſtatem excitauit, quae mare totum ex imo diuiſerat. III. vt Ignis etiam inter vtrumque hoſtem ſe interpoſuit, ne alius ad alium accedere poſſit. Quae omnia pariter exprimit Moſes Ex. XIV. 14. *Iehoua pugnabit pro vobis* &c. v. 19 ſq. Habes ſic Columnam Nubis in Iunone, & Ignis in igne, qui diuiſit hoſtes: habes & tempeſtatem in Euro, quae Maria *ſubruit* & illis viam parauit, his excidium. Nam

382. —— —— *pugnaeque datur nonnulla poteſtas.*
Noctes atque dies vaſtis mare fluctibus inter

Per-

Perfurit, expediant donec Iunonia ſeſe
Conſilia, atque aliquem bello ferat anxia finem.

Finis erat, quod cum ad hoſtem penetrare vellet audaciſſimum omnium Stirus, procus Medeae (Pharao, qui illam retinere ſatageret) & iam magico carmine ventos perciperet: v. 356.

— ite rates & frangite Virginis vndam.
Dixit & intortis ſocio cum milite remis
Proſilit: ac fluctu puppis labefacta reuerſo
Soluitur effunditque viros ipſumque minantem
Tunc quoque & elata quaerentem litora dextra

Cap. XV, 10.

Donec — fluctus adeſt magnoque ſub altis
v. 9. 13. *Turbine figit aquis, & tandem Virgine ceſſit.*

Certe, qui totum relegere librum cupit fabulam cum Hiſtoria optime conſentientem habebit.

§. XXV.

Porro, vt diſſiliit mare & inſtar muri coactum patuit: vt opera coeleſti coërcitum donec transirent Argonautae, adhuc clarius, rupto ſcil. ordine, deſcribit Val. Flac. L. IV, 643.

Ex. XIV, 8. 9. *— dumque ocius inſtant*
v. 21. 22. *Ferre fugam, Maria ante ratem, maria ipſa repente*
XV, 8. *Diffugere, aduerſosque vident diſcedere montes.*

& Verſu 656.

Vnda laborantes praeceps rotat, ac fuga ponti
Obuia. nam v. 667,
XIV, 13-15. *Aduertere Dei - - & numina ponto*

v. 2. *Quid ſcopulis praecluſa ratis quid dura iuuentus*
Expediat: pendet magnis fauor ortus ab auſis

v. 19. *Prima corruſcanti ſignum dedit Aegide Pallas*
Fulmineam iaculata facem. Vix dum ardua cautis
Ceſſerat, illa volans tenui per concita ſaxa

v. 21, 22. *Luce fugit: Rediere viris animique manusque*
Vt videre viam: ſequor o quicumque Deorum
Aeſonides vel fallor ait: praecepsque fragores

v. 24. 19. *Per medios ruit & fumo ſe condidit*
Sap. XIX, 7. *atro.*

Quid in vlla Hiſtoria deprehendes verius. Dicit Deum cum vellet expedire Argonautas a periculo inſtanti, ſignum dedit coruſcans, quod erat *Columna Ignis.*

Et ſic mare ante illos diuiſum, per quod quaſi inter binas rupes viam emenſi ſunt, nubea Columna tecti. Imo v. 632 ait vnum latus vnda a Iunone, quae nubes erat, coërcitum; alterum vero a Pallade, cuius erat Aegis igniuoma, quae columnam ignis clare indicat.

v. 682. - - *hic Iuno praecepsque ex aethere Pallas*
Inſiliunt pariter ſcopulos. Hunc nata coërcet
Hunc coniux Iouis —— & interea

v. 689. *Contra omnes validis tenui diſcrimine remis*

Per-

Pergere iter, medioſque ratem transferre
per ictus

v. 693. — — — *latera vtraque quippe*
Diſſiluiſſe putant.

Id ſolum per anticipationem dictum, ſua quod opera ratis Argi etiam Mare tranſitum fingit Poëta, vt factum eſt ad fluuium Iordanem; Ruptum mare opera Argi agnoſcit, ſed vtrum in Rubro an Iordane neſciuit gens fabuloſa. *Murus* vero *aquarum*, qui ex aqua ſtipatus montium latera effinxit, vt habet Moſes Ex. XV, 8. 16. Sap. XVII, 7. 8. Poëtis erat *Saxa Cyanea* ſiue coerulea, ex colore aquarum ſumto nomine, & quia diuiſum mare iterum recurrebat; cyanea ſaxa feruntur

— *non illa viris ſed praecipitata profundo*
Siderei pars viſa poli.

Teſte Val. L. IV, 642. & alio in loco,

Hinc iter ad Ponti caput errantesque per altum
Cyaneas: furor his medio concurrere ponto.

Alias *ſymplegades* dicti & nihil aliud fuere, quam in duo partes diuiſum mare, quod protinus magno cum furore coaluit poſt tranſitum Argonautarum.

§. XXVI.

Superſederem iam vlterius euincere tranſitum hunc per mare, Poëtis notum, niſi res, non prius deprehenſa, teſtimonia exquireret plura. Valerio itaque ſuccenturians Apollonius ita in Arg. Lib. I. canit. v. 540.

Ex. XIV, 16. *Ad citharam Orphei pellebant remos* —

v. 19. *Interea ceu flammata emicuit a ſole euntis nauis*

v. 22. *Arma & ita inalbebant longi ſubinde tractus*

Sap XIX,7. *Vt perſpicua in campo herbido ſolet ſemita*
v. 8. *Ita eo die Dii omnes tuebantur*
Nauim & ſemideum molimen Deûm.

In quibus I. Moſis virtutem diuinatoriam ſub Orphei perſona celebrat. II. Columnae igneae praeſentiam apud Iſraëlitas. III. Tutelam coeleſtem nauis Argi, quae per anticipationem heic inducitur a Poëta leui errore. Et ſic L. II. v. 579. ſic deſcribit peruium Mare

—— —— Ibi demum maximo perculſi timore
Omnes: nam ſuper caput erat exitium ineluctabile
Iam vero ab vtroque latere latum videbatur mare
Et ex inſperato imminebat prope fluctus immanis
Excauatus abrupti ſimilis ſcopuli: & videbatur
Totam deſuper nauim coopertam eſſe —— ——
Sed ipſa cui cylindrus fluctum transcurrit
Ac praeceps in Maris cauitatem proferebatur
Donec innoxii euaſiſſent
Et aera liberiorem cernerent, & aquam marinam
Late diuiſam

L. II, 169. ita canit de re eadem miraculoſa

Ex. XIV, *Ecce fluctus inſtar celſi montis*
21. *Extumuit vtroque ex latere quaſi inundaturus*
Et altius altiusque eleuatur ad nubes
Et tam exacte naui mediae, tamque
Minaciter deſuper impendet in faciem nubis

Neque latera aquarum aliter deſcribit Phineus apud eund. L. II, 316.

Primum omnium montes
Binos cernetis aequoreos in maris anguſtiis,
Quas nemo opinor penitus tranſierit.

Non enim ad radices ſtabiles ſunt,
Sed frequenter mutuo miſcentur
Inter ſe. Tum ſupra faſtigetur
Multa maris aqua. Cfr. L. II. v. 623.

Porro Apoll. L. c. v. 333. vocat iter Argonautarum *Angiportum maris*, & v. 348. *fluctifragium*, vt nemo de mari peruio dubitare poſſit. *Cyanea vero ſaxa dixit hos montes propter colorem*, ait Schol. Apol. l. c. vt tanto propius accederet ad haec verba Moſis Ex. XIV, 22. *Sic procedebant filii Iſraël in medio maris per ipſam aridam, cum aquae eſſent eis murus a dextra eorum & a ſiniſtra.* Et hic murus aquarum Poëtis *Symplegades* fuit, & Charybdis & Scylla, cum vix conueniens nomen tanto miraculo inuenerint, de quo Moſe in Cant. ſuo c. XV, 8. *In ſpiritu naſi tui coagulatae ſunt aquae: ſteterunt ſicuti aceruus, fluenta coaceruata ſunt abyſſi in corde Maris.*

§. XXVII.

Iam demum igniuomos Tauros compeſcuit, iam ciuili ſtoliditate hoſtes autochtonos confectos vidit, iamque Draconis cuſtodiam perrupit Medea cum Iaſone. Reliquum iam eſt, vt *Aureum Vellus* in lucem procedat, quod quam pretioſum fuerit inter ſuos, tam in hunc vsque diem latens neſcitum eſt in orbe erudito. Relicta ergo aliorum coniectura Aureum Vellus fuiſſe Arcam federis opinor, operimento Arietino aurei ſiue ſanguinei coloris circumdatam. Poëtis enim dictum fuit *Argo*, quia in modum nauis per Iordanem transtulit, Iſraëlitas vicemque nauis ſuppleuit. *Caput Meduſae* (a μέδω, vnde & Medea) dictum quaſi Capitolium Iſraëlis; &

Gorgon terribilis, ob effectum in illos, qui nudam aſpexere Num. IV, 20. *Aegis* vero ex *tentorio caprino*, vt ſupra probatum. At *Vellus Aureum ex pellibus arietum rubefactis* Ex. XXV, 5. ex quibus *tegmen ipſi tentorio iniectum fuit*. c. XXVI, 14. Heic enim celebratum *Arietis Vellus* habes colore *Aureo* rubefactum: quamuis & non incommode Aureum dictum putetur, quia continebat Arcam auro intus & extra mirifice fulgentem. Et hoc vellus ex manu iuſſuque Dei obtinuit Medea Iſraëlitica, perdomito Dracone, laeſisque Aegyptiis igne ſinaitico: & numne haec in *Arcam* cum Tentorio conueniant: Val. Lib. *Cuius adhuc rutilam ſeruabant brachia* VIII, 114. *pellem*

Nubibus accenſis ſimilem, aut cum veſte recincta

Labitur ardenti Thaumantias obuia Phoebo.

& ſtatim

v. 122. —— —— *Micat omnis ager villisque comantem*

Sidereis totos pellem nunc fundit in artus

& —— *per longas apparuit Aureus vmbras.*

Siquidem *gloria Iehouae protinus eam implebat & Nubes Iehouae erat ſuper eam diu: ignis vero noctu in conſpectu totius Iſraëlis omnibus profectionibus eorum.* Ex. XL, 34. 38.

§. XXVIII.

Dracone & hoſtibus liberatos, *Argonautas* oportuit in monte Sinai legibus imbui, ſi apprime cum Iſraëlitarum gente vni eſſent. Ergo ne & in hoc caſu nos a Poëtis deſtitui putas, cum praeprimis fuiſſet memorabilis; hanc tibi ab Apoll. relictam hiſtor. habe L. I, 915.

L. I, 915. *Cæterum ſerio Orphei monitu appulerunt*
Veſperi
Ad inſulam Electrae Atlantae natae, vt imbuti
Intemeratis legibus & abſolutis
Seuerisque initiati ſacris certiori cum
Incolumitate formidoloſum tranſirent aequor.

Ex deſerto aequor facit, quia dudum omnibus impoſuit Nauis Argo; ſed leuis eſt error. Erat deſertum iam Iſraëlitis intrandum inſtar aequoris vaſtiſſimi & periculoſiſſimi. Deut. VIII, 11. Quod priusquam ingreſſi fuere, leges accepere a Deo & ſacris imbuti ſunt prope Montem Dei Horeb, interueniente Orpheo ſeu Moſe. Nec mirum eſt *Inſulam* dici hanc terram, quia tranſito Mari, quid aliud putarent Argonautis occurrere quam *Inſulam*, quam *Electrae* vocat ſiue *Solis*, qui Chamus erat, vt ſaepe ex nominis vi innuimus. In hac enim continente plurimi filii Chami ſedes habuere ſuas. Etſi nos non moratur hoc in negotio locorum praepoſtera nominatio, modo res ſua ſerie illuſtres habemus, & qui omnia apud Poëtas ad vnguem reſecare vellet?

§. XXIX.

Adhuc grande miraculum Iſraëlitarum inter Argonautas contigiſſe legimus, quod itidem vtramque gentem conciliat. Videlicet *Aqua ex rupta rupe profiliens*. Num. XX, 11. qua de re ſic Apoll. L. IV, 1409.

—— *At agnouit Orpheus*
Diuina monſtra. Hinc precibus ita perſequitur:
Agite Nymphae ſacra Oceani propago
Oſtendite nobis coram conſpicuae
Aut aliquam lapideam aquae *ſcatebram*

Aut ſacrum ebullientem fontem ſolo Deae quo ſitim
Intolerabiliter ardentem reſtinguamus.

v. 143. — — *Tunc Aegle* h. e. Columna ignea
Sermonem orſa comites biantes recreat
Magno cum veſtro emolimento qui ſitientes eſtis
Huc aduenit illi audaciſſimus omnium
Heri aduenit nocentiſſimus vir
Venit, inquam, heri, & cum pedes tranſiit per
hanc ſolitudinem
Arens ſiti, obtutuque per regionem diſiecto.
Aquam inueſtigabat, ſed fruſtra.
Verum eſt, quaedam Rupes ante Tritoniam paludem
Eam illi ſiue indigitando repertam ſiue Dei ope
Calce pedis imam ſic pulſauit, vt illud ſaxum
Vbertim ſcateret, quare in terram prociduus
E fiſſili ſaxo bibit ductim.

& v. 1455. — *atque tunc frequentes*
Minyae circa aquam e Saxo proſilientem
Verſabantur.

Omnia ſincere, praeterquam quod nauigantes in ſolitudine conſtituit inter ſaxa & rupes & aquam in aqua deſiderare videtur; ſed vnde illud, niſi ex eo, niſi quod Argonautas reuera per deſertum tranſiiſſe audiit; ſed quomodo cum naui Argo conciliaret, ipſi aqua haeſit.

§. XXX.

Poſt varia denique in deſerto exantlata pericula & itineris taedia poſtque multos in ſolitudine anfractus tandem Tranſitus Iordanis finem viae impoſuit. Proinde etiam de hoc opere audiamus oportet Poëtas. Apollon. Lib. IV, 1537. ſic deſcribit rem totam:

Verum

Verum vt conſcenderunt nauem, perflante pelagus
Vento auſtrali, & promiſerunt ſibi viam
Qua Triton exit lacus; nihil ſupererat conſilii
Totoque die ferebatur inconſulte
Sic in ſpiras collectus draco aliquam carpit viam,
Quem ſatis penetrabilis torret aeſtus ſolis,
Ita vt Argo dum paludis enauigandum quaereret oſtium
Ad longum ſatis tempus inerrauit.

Scilicet per XL annos in deſerto per varias anfractus quaſi inter ſpiras draconum & ſerpentum viam carpſit, & aeſtu grauiſſimo toſti multa patiebatur mala Gens Iſraël, cum praeter ſpem via ad Tritonem proxima illi intercepta fuit iuſſu Diuino. Tandem vero Iordanem transiit, teſte Orpheo v. 1079.

—— —— —— Exinde repente Argo
Transiit per anguſtum fluentum
Inciditque in Oceanum. Cronium vero vocant.
Pontum Hyperboreum homines, mareque mortuum.

Apollonius & Valerius & Scymnus *Tanaim* vocant amnem hunc; ſed res eodem recidit. *Tanais* enim ſiue Tan & Dan erat alterum cornu Iordanis, vti notum. Vbi vero Cronium fluentum & Mare Hyperboreorum ſiue Ebraeorum nec non Mare Mortuum, ſupra aperuimus. Erat enim Mare Mortuum Asphaltites, quod & Hamalchium ſiue Cronium dictum eſt, vt ſupra oſtendimus.

Cetera in MScrpto deficiunt.

AD-

ADDIT. ex MANVSCRIPTO.

DE
MINERVA.

§. I.

Haec Dea olim omnium & ingenio & Armis maxime inclyta fuit. Verum omnia turbans aetas ita tempore ſequiori famam illius emaciauit, vt, quae quondam fuerit; hodie penitus ignoratur. Ergo & illam e tenebris educere haud alienum ab hoc opera duxerim, vt, qui feruent ingenio & literario ſupellectili abundant, ſaltem habeant in quo me aut defendant aut corrigent.

§. II.

Minerua populus Iſraël.

Erat itaque *Minerua* non vna virgo aut mulier, ſed more orientali, hoc nomine *integra gens* & quidem *Iſraëlitica* comprehendebatur. Mos & formula loquendi Ebraeorum impoſuit Graecis primum & inde nobis, vt ex populo feminam & Gente Virginem fecerimus. Cum alioquin ex ſacra Hiſtoria notiſſimum eſt *Virginis* voce indicari *Gentem* Iſraël: Erit inſtar omnium Teſtis *Amos* propheta, qui C. V, 2. ita habet: *Non perget ſtare Virgo Iſraël*, vt alia taceam loca: & ſic *Virgo & Gens* pari paſſu ambulabat tam apud Poëtas quam Prophetas.

§. III.

§. III.
Virgo ingenio & armis illuſtris.

Inter dotes huius Deae peculiares recenſent Vates: I. *quod perpetuae virginitati* ſe vouit, quo honeſtiſſimo conatu ſecundum phraſin Ebraicam; ſincerum Religionis exercitium indigitari notum eſt: quippe cui tum Diis alienis fornicari grauiſſime interdictum fuit; Et hinc *illibata Gens & Virgo* habita, quum aliquamdiu prae ceteris gentibus ſolius veri Dei cultum tenuit, & fideliter exercuit: quamuis poſtmodum ſcortari coeperat & ex inopinato *Athenae* ſiue *Meretricis* nomen ſibi accelerauit. II. *quod ingenioſiſſima omnium gentium fuerit*; & non modo literas ſed & arma a principio tenuiſſe: quae veſtigia optimi indolis gentem Iſraëliticam clare aperiunt. Cum ſine dubio omnis literatura & eruditio & Muſarum conſortium & belli exercitia illi tribuenda ſint: Nam & *Muſar* Ebraea vox Muſarum ortum inter Iſraëlitas oſtendit, & expeditio contra *Enakim* & Riphaeos ceteramque Gigantum molem ſatis monſtrat quantum valuerit haec gens armis & bello concitata.

§. IV.
Ortus & Patria.

Si requiris; cur Dea dicatur? Inſpicias oportet facinora eius miraculoſa & Deo plena, & in humana gente vix quidpiam humani deprehendes ſed omnia Diuina. Homo tamen fuit, quia *Nata, educata* & hodie *Mortua* ſit; Patria illi *Triton* Amnis celebratur, ex quo primum prodiiſſe fertur & hinc *Tritogeniae* nomen reportauit. Ratio fabulae in aprico eſt, quamuis ridicula a Poëtis refertur: ſcilicet

licet quod *Opera Vulcani ſcindentis Caput Iouis enata fuerit*: erat, vt verbo Myſterium vel ſi mauis figmentum Poëticum explanem. *Triton* amnis *Galilaei* Iordanus (Galilaea enim Caput notat) *Vulcanus Bezaleel* faber Arcae federis, cuius opera ſciſſum eſt flumen Triton ſiue Caput Iouis, ſiue Galilaea in terra Cham, & ſic repente ex aquis proſiliens Dea Iſraël, tamquam nuper ex innopinato producta putabatur. Vt non aegre capimus hanc fabulam Euripidis in Ion. v. 455.

Mineruam obſecro
Quae a prudenti Titane Vulcano
Obſtetricata eſt in ſummis
Verticibus Iouis.

§. V.

Aetas. Nec *tempus Natiuitatis* ab *illuſtri ortu* diſcrepat. Gisbertus Cognatus aſſerit eam imprimis apparuiſſe *Temporibus Ogygis* & *Pauſanias* in Atticis teſtatur eam floruiſſe *tempore Gygis*, qui cum *Oge* rege Baſan eundem fuiſſe, vnde & Ogygia dicta ſupra monſtrauimus, & ille erat, qui ſua internecione & excidio primum fere illuſtrauit facinora *Mineruae*.

§. VI.

Nomina. Nomina huius Deae varia fuere. *Tritogenia* dicebatur, quia ex fluuio *Galilaeae* ſiue Trito eminuit primum Cananaeis. *Minerua* vero nomen ex Ebraeo conflatum eſt: מן *Min magis* notat & עֶרְוָה *Arvah*: *pudenda* ſeu *verenda*, *maxime partium Genitalium quas natura tectas voluit*, *teſte* Buxt. Ex Gen. IX, 22. Ex. XXVIII, 42. Ec. III, 16. Vnde *Min Arua* compoſitum idem valet: ac cuius

Pu-

Pudenda enudata vel magis nuda ſunt quam reliquarum Gentium: qualia erant Iſraëlitarum ob circumciſionem, vt ſi rem ſine ambitu intuemur. *Minerua* idem eſt ac *Circumciſa Gens*. Porro *Pallas* dicta eſt, quod nomen Ebraeum ex פלש vnde פְּלִשְׁתִּים Philiſtim & Palaeſtim: quo nomine inſigniti aut qui in Palaeſtina ſedem habuit aut vicinos Iſraëlitas & Palaeſtinam confudit Graecia, aut quia *Gens* inquináta idolorum cultu fuit. *Neith* etiam nomen illius fuit ſed Aegyptiacum, vti teſtis eſt Plato in Timaeo: *Aegyptiace dicitur Neith, Graeci autem vt illi aſſerunt* Αϑηνη, ſed periit Aegyptiaca, ergo difficulter nomenerues. *Neith* vero lingua *Sami* ſiue Lapponica, *Virginem* notat: vt *Sami-Neitha* illic idem valet ac *Virga Lapponica*. Quod vero *Athena* Graecis dicebatur, id ex Graeco non habuit, ſed hebraeo ſermone, queis אֶתְנַה *merces meretricia* eſt, vt apparet ex Oſ. II, 12. Ez. XVI, 16. 31. 34. 40. 41. Mich. I, 7. &c. Et ſic Nomen illud obtinuit cum deſerto Deo vero & *mercede meretricia* accepta, in Idololatriam degenerant. Obſeruo etiam quod *Onca* dicta fuerit, vt ex Stephano patet, qui, *Onca* ait, *Minerua ſecundum Phoenices.* cfr. Dionyſ. Nonn. L. XLIV. Imprimis vero memorabile eſt, quod ab Euripide Νίκα ſ. victoria dicitur in Ion. v. 452.

O veneranda Nica

& v. 1529. *Non per eam quae quondam opem tulit*

Nicen Athenam Ioui contra terrigenas.

quod nomen coincidit optime cum Nomine Iſraëlis de quo Moſes: Gen. XXXII, 28. *dicitur Iſraël nam vt Principem te geſſiſti cum Angelis & cum hominibus*

bus & Victoriam tenes inde *Victor Iſraël Nicae dicta* eſt Poëtis. Hinc Coelius Rodiginus Ant. L. XIV, c. 18. inquit. *Colebatur Athenis Mineruae* Νίκης *ſimulacrum ſine alis*. cfr. Euſt. ad Il. N. f. 879. L. 64. *Sophocles* ait: Νίκη *Athena Vrbica*, & Pauſ. f. 46. *Et aliud ibi templum Mineruae dictae Victoria factum.* Praecipue vero addit *Phrunitus* de Minerua *Maxime Victoria Minerua, quae & Gigantophontis dicta, quod Gigantes deuicerit:* Iſraël enim contra Gigantes *Enakim* bella geſſit & Νίκην ſiue victoriam obtinuit, qua de re iam modo dicimus.

§. VII.

Ex Parentibus Mineruae vti & Natalitiis egregia etiam reperimus indicia Gentis Iſraëliticae. Apoll. L. IV, 1309. haec affert:

—— *Mineruam olim* ——
Cum e capite Patris tota erupiſſet armis clara
Accurentes Tritonis abluerunt Latices.

ad quae Schol. *ita Steſichorus primus eſt, qui ait Mineruam prodiiſſe armatam ex capite Iouis.* Pauſanias in Attic. eam fuiſſe, *Neptuni & Tritonis paludis filiam, quae Gygis temporibus floruit*, cui conſentit Herod. in Melp. at Tzetzes e *Cranao* prognatam putat: Nat. Comes. Myth. L. IV, c. 5. ex Poëtis hanc adfert fabulam: *quod Vulcanus diuiſerit caput Iouis ſecuri praeualida cum partus vicinus eſſet & ex illo in duas partes diuiſo armata proſiluerit Minerua.* Verum qui non ſentiat luſum ignorantiae. Ergo egregie rem explicat idem Nat. L. c. *Neque*, inquiens, *Homerus aut reliqui Poëtae illam Tritogeniam appellarunt, quia ſit e palude genita, quod quidem foret ridiculum, ſed quia apud Amnem eius nominis*

minis educata ſit cum ibi primum apparuerit. A vero non procul abeſt Mythologus: primum audiamus Ciceronem & Athenodorum, vt inde facilior tota appareat fabula. Ille enim de Minerua collegit ſequentia L. III. Nat. Deorum: *Minerua prima Apollinis mater erat, ſecunda orta Nilo, tertia Ioue, quarta Ioue nata & Coryphe Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant.* Verum Athenodorus Byzantius apud Strab. L. XIV. ait *Thetidem in varias formas verſam & denique compreſſam a Ioue fuiſſe, quae cum eſſet grauida, audiens Iupiter, quod ex ea naſceretur, quae coeli imperio potiretur, illam abſorbuit, quare ipſe grauidus factus apud Amnem Tritonem peperit.* Quis iam non cernit quam diſſentiunt hi omnes & pariter conſentiunt: per rumorem audita res mirabilis Poëtarum fabulam exornauit: Et dum priſca pariter ac noua ſcrutamur, nulla gens nullaque perſona in hiſtoricis legitur, cum quo haec omnia conueniunt niſi Populo Iſraëlitico. Notum eſt quod *Iſraëlitarum Pater Iſraël* natus ſit inter *Kades* & Beredum vbi Iſac habitauit iuxta puteum *Lachai-roi* in Terra Canaan Gen. XXV, 11. XVI, 14. XXIV, 62. At quia adhuc ſolus erat de Minerua explicari non decet, quippe quae integram Gentem Iſraëlitarum denotat: quae primum *Iſraëliticus Populus* dicta eſt multiplicatis filius Iſraël in Aegypto: & hinc recte prodidit Cicero, quod *Minerua* ſit *Nilo* genita, cum in Aegypto iuxta Nilum a principio, *Ita filii Iſraëlis foetificauerant & abunde progenuerant, augebantur & corroborabantur quamplurimum, vt terra illa (Mizraim) impleretur ipſis.* Ex. I, 7. 9. Deinceps domo ſeruitutis

exuta gens Iſraël, circa montem *Sinai* in deſerto diu manſit & inter varias coeli formas inter tonitrua & fulgetra, inter ignes & vapores, inter tenebras & nubes Legem iuſtitiae Regulam a DEO ſuſcepit: vnde Alhenodonis l. c. fingit *Themidem* ſiue iuſtitiam & Deum huius gentis Parentis, & *varias illas formas* ex miraculis Sinaiticis compoſuit. Diu etiam ante temporibus Abrahami, Iſaci & Iſraëlis innotuit Terram *Canaan*: quae *ſedes Dei* & *Coelum* quaſi fuit in ſcripturis dicta, ſeu Iſraëlitarum poſſeſſionem, vt non ambigue conſtaret hanc Gentem *Coeli Imperio olim polituram*, quod Oraculum *Ioui* Chamo non potuit non displicere. Adeoque diu *abſorpta* Gens fertur vel fluctibus Maris Rubri vel Iordanis. Porro autem repente ex inopinato proſiluit e *flumine* ſiue *Palude Triton* & quidem *armata* & hinc a *Coryphe* ſiue *Tritone* nata fertur: quem partum ſic explicat Gilbertus Cognatus in Not. ad Tom. IV. p. m. 578. *Tritogenia Minerua Epitheton eo, quod Ogygis* (Ogi Regis Bazan) *temporibus circa Tritonidem Paludem Virginali facie apparuit; Vel quod e Iouis Capite prognata fuerit.* Τρίτω *enim Boeotorum Lingua Caput notat:* Idem itaque dicunt Poëtae cum fabulantur Mineruam eſſe natam ex Trito, & e Coryphe, & e Capite & e Vertice Iouis. Iam quod Latinis *Caput* & *Vertex* eſt, id Graece ſonat *Coryphe* & Boeotis Trito, & Ebraeis *Gilgal*. In Galilaea iuxta Iordanem, vbi Ioſua lapides in ſignum ſciſſi verticis Iouis ſiue Galileae erexerit: vt habetur Ioſ. IV, 19. *Populus itaque aſcenderunt e Iordane, & Caſtra metati ſunt Gilgale in extremitate ad Orientem Ierichuntis; XX, Illos autem XII lapides, quos acceperant*

vant e Iordane erexit Ioſua Gilgale. *Securis* vero ſcindens aquas erat *Arca federis*, vt ex c. III. & IV. Ioſuae patet: cuius opera Armata Iſraëlitarum Cohors per medium amnem tranſiit; & hoc miraculum in omnes inde Gentes emanauit. cfr. Ioſ. IV, 24. 25. Et ne quis de Tritonidis ſitu dubitet in Canaan terra ex viciniae illius habebit rem claram, cum Nat. Com. l. c. probat: *Machlyes & Auſos non procul a Tritonide habitaſſe*, quarum vrbium prior μαχλυς a Graecis tranſpoſita eſt ex קדש *Kadeſch* cfr. Deut. XXIII, 17. Oſ. IV, 14. Vrbs haud procul *Iordane* vel intra Iordanem fluuium Iudaeae & Oceanum Erythraeum: vt fatetur Luc. T. III. in Baccho p. m. 594. *Machlaei inter Indiae* (Iudaea) *flumen & Oceanum habitant.* *Auſae* etiam erant Iobi natalitiae in Arabia Iob. I, 1. Neque diſſentit Steph. qui vrbem *Trite* ſiue *Gilgal* ponit ad Columnas Herculis ſiue iuxta *Amoraeos*, de quibus ſuo loco.

§. VIII.

Noſcitur etiam noſtra *Minerua Iſraëlitica ex Numero ſeptenario, qui illi imprimis prae ceteris gentibus ſacra fuiſſe fertur* a Pythagoraeis, vti monet Nat. Com. l. c. p. 269. In ſacris enim Iſraëlitarum hic *Numerus* nonne vtramque facit paginam, adeoque de eo habet Rauanellus in voce *Septem*, nam cum Res vulgo nota eſt, infinita e Codice Sacro loca colligere ſuperſedeo.

§. IX.

Sed & obſeruationem merentur, quae habet Apollodorus L. III. Bibl. qui *Mineruam*, quam cum Pallade eandem faciunt omnes; a Pallade quodam modo diſtinguit. *Fama eſt*, inquit, *natam Miner-*

 uam

uam apud Tritonidem educatam fuiſſe, cui filia erat Pallas, atque ambas cum res bellicas exercerent in contentionem veniſſe. Quid in Hiſtoriam Iſraëliticam conuenientius educata fuit in Galilaea & locis vicinis Gens Iſraël: poſt v. diuiſa fuit ſub Rehabeamo, vt non immerito *Iudaicum* imperium dixeris Mineruam, *Iſraëliticum* vero Pallas, quorum Deus erat Baal & hae ambae varia inuicem habuere bella, vt ex Hiſtoria earum conſtat. Nec iniuſte *Minerua* mater Palladis dicitur, vel vt ſupra memorat Cicero *Mater Apollinis*, cum penes *Iudaeos* primum fuit Regnum, diuiſo autem imperio quaſi Iſraëliticum ex ſe genuiſſe videbatur, in quo Ierobeam protinus introduxit *Baalum* ſiue Apollinis cultum.

§. X.

Gens Iſraël ſub nomine Mineruae ſatis ſe prodit ex bello cum Titanibus & Gigantomachia, vt teſtis eſt Callimachus in Lauac. Palladis.

Non Armis quando permulta caede cruentis,
Venit ab iniuſtis horrida terrigenis.

& Eurip. in Ion. v. 1529.

Non per eam quae quondam curru opem tulit
Nicen Athenam, Ioui contra Terrigenas.

Terrigenae Gigantes erant Enakim, quos ſuſtulit Iſraël vt ex Capite de Giganth. patet. Et contra hos opem tulit Minerua *Curru*: hoc eſt vt conicio *Arca foederis*. Et ſi fides Iſacio dicta fuit Pallas, quum interfecerit *Pallantem* Gigantem, qui aut erat Bal, deaſtrum, qui teſte eodem apud Nat. C. p. m. 298. cum *vellet cum ea concumbere, occiſus eſt, ſiquidem pluris fecerit Virginitatem*: h. e. cum Iſraëlitas in ſui cultum pellicere vellet (quod in ſacris *ſcortari*

di-

dicitur) ab initio caeſus & incenſus eſt Iubente DEO, vt & cetera Idola terrae Canaan. Aut *Pallas* erat Vrbs Baali in tribu Iuda ab Iſraëlitis deuicta. Ioſ. XV, 9. 29. XIX, 8. 3. Aut *Peliſtim*, *Palaeſtina* Ier. XXV, 26. quam occupauit & inde nomen Pallas contraxerit.

§. XI.

Reſtat denique praecipuum huius Mineruae facinus in teſtimonium rei adducere, quod ex Diod. L. III. c. 80. aliisque patet: qui referunt Mineruam confeciſſe immanem Beſtiam nomine Aegis, *quod monſtrum flammas e rictu oris exſpirauit, multas terras & inprimis Phrygiam exuſſit, vnde teſte eodem loca illa Phrygia h. e. exuſta nominabatur; nec non Libani ſyluas in Phoenicia deſolauit*: Alii *Aegida* Palladis & Iouis ſcutum munimentum fuiſſe contendunt: Virg. Aeneid. L. VIII, 352.

——— ——— ——— Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Iouem, cum ſaepe nigrantem
Aegida concuteret dextra nimboſque cieret.

& iterum *Aegidaque horrificam turbatae Palladis arma*. Vbi Seruius ait *hoc fuiſſe Munimentum Arcum habens in medio terribile Meduſae Gorgonis caput*: quod Munimentum quoties denudauit Minerua, hoſtes ſolo intuitu trucidati fuere. Quae fabula quantum mihi conſtat in hoc tempus manſit tecta: Ergo res ordine explicabimus: Et quidem primum nulla eſt difficultas de ſitu ſilua Libani Montis in Hiſtoria Iſraëlitarum notiſſimi: Neque difficulter *Phrygiam Exuſtam* reperimus: ſi verbum Latiale *Exuſtum* vel *Phrygia* Graecum in Ebraeum transponimus: חָמַם *Chamam*: incaluit. חם *Cham* Calidus. חוֹם *Chom* Aeſtus. Et ſic *terra Cham* vbi deinceps erat filius

Canaan, erat vera ac genuina Veterum *Exuſta* ſiue Phrygia: Ex quibus patet *Aegida* Pallades (ſiue ſcutum fuerit ſiue Monſtrum ſiue vtrumque) non alibi quam in Terra Cham ſiue Canaan inueſtigandam eſſe. Nam licet cuiquam diſpliceret illa interpretatio Phrygiae ſiue Exuſtae terrae: Tunc alia prodiret multo certior ex voce Ebraea ציה *ſiccitas*, *quae ex aeſtu nimio & feruore ſolis prouenit*, vnde mons ציון Zion: *Exuſta terra* vel *aeſtu torrida*: vnde populus omnis Iſraël dictus fuit *Filii Zijon*: in qua Gente ſola fuit olim *Aegis*, per quam non aliud voluit indicare Monſtrum ſiue Clypeum, quam *Arcam foederis*, quae Capraeo tentorio operta fuit; & ex Ebraeorum עזים Aiſim vel Aegis deductum: quae caprina fera in Zionis monte inter filias Zionis diu permanſit Libanique ſilua tempore Salomonis depopulata eſt, cum Templum conderetur.

§. XII.

Pari etiam facilitate *Aegida* Clypeum ſiue Munimentum Mineruae inuenimus: fuit enim illud *Arca federis* quo ſe tuebatur Gens Iſraëlitica, cuiusque ope omnia grauiora bella & pericula confecit: Quidam Scholiaſtes ad Iliad. L. 201. ita: *Aegis erat ſcutum Iouis & Palladis a Vulcano fabrefactum.* Faber ille celebratiſſimus Poëtis erat *Belzaleel* Ex. XXXV, 36. Arcae federis Magiſter, qui ex praeſcripto Iouis & Moſis confecit hoc Munimentum foederis Genti Iſraëliticae in deſerto & quidem in Terra *Edom*, quae vox *terram* notat, vnde Diod. L. c. c. LXX. vocat *Aegida terrae foetum*. Porro tectum fuiſſe hoc ſcutum ſiue Munimentum dicitur *Coria Amaltheae Caprae*: & hinc *Aegis* dictum: quae vox

Ca-

Capram notat: Erat enim tentorium ipſum ſiue Operculum *Arcae federis* ex *Lana Caprarum* Exod. XXV, 4. Deinde incipit Ex. XXVI, 7. *Facito Aulaea Caprina pro tentorio ſuper tabernaculum*: Erat enim Aulaeum illud circa Arcam e *Lana Caprina* confectum: ipſum *Tentorium* ſuper tabernaculum, Ex. XXXVI, 13. vnde *Aegida* fecere Graeci & Corium Amaltheae Caprae, ſub quo ſe occultauit Deus; nam hoc *Tentorium* fuiſſe, ſub quo Arca delituit, fatetur Ouid. Faſt. L. V, 115.

Nais Amalthea Cretaea nobilis Ida
Dicitur in ſiluis occuluiſſe Iouem:

Nam in deſerto ſub hoc tentorio ſaepe viſa & occulta eſt Gloria Dei. Ἀιγὶς etiam Capram notat, vt עֵז Ais Hebraei & in pl. עִזִּים Aiſim vel Aegiſim Caprae. Nam cum peregrinis non licuit cernere in Sacris Iudaeorum praeter *Corium hoc Caprinum*, ſiue *Tentorium*, *Aegida* appellare coeperunt h. e. *Tentorium Caprinum*. Notabile etiam eſt quod Capra illa, ex qua corium hoc confectum, dicta eſſet *Olenia* Ouid. L. V. Faſt. Hygin. fab. 139. Lact. L. I. Inſt. C. 2. qui confectum erat hoc *Tabernaculum Caprinum* ab Aholial: cuius nomen in *Oleniam* corripit Graecia. Et hinc Olenus filius Vulcani fertur cum ſub *Bezaleele* erat proximus faber Aholial Ex. XXXVI, 1. XXXV, 36. De vſu autem *Aegidis* ſiue *Caprini tentorii* haec habet Lact. L. I, 21. Inſt. *Huius capella corio vteretur Iupiter pro ſcuto contra Titanas dimicans, vt Muſaeus (Moſes) Auctor eſt, vnde a Poëtis Αἰγίοχος nominatur h. e. in Corio Caprino ſiue tentorio habitans.* Ideo enim factum Tabernaculum vt *Eſſet ſacrarium, in quo habitaret inter*

Iſraëlitas Deus Exod. XXV, 8. & huius robore ſe communiit Gens Iſraëlitica cum aduerſus *Titanes Chami* ſiue *Solis* filios ac Gigantes praeliarentur. Nec alius eſt Auctor huius Hiſtoriae Muſaeus, quam Moſes, qui rem totam in Exodo pertexit. Conuenit etiam Vſus *Aegidis* ſiue *Caprini Tentorii* cum Tabernaculo Iſraëlitarum. Nam vt *Aegis flammas* excitaſſe & fulmina proieciſſe fertur in hoſtes Dei, ſiue Iouis, ita & tabernaculo proſiluit non raro *ignita flamma* delens hoſtes Dei. Nam

Se licet ille meo conceptum vertice iactet
Sentiet iratam procul Aegida ſentiet ictum
Fulminis. Teſte Claud. Proſ. L. III, 6.

h. e. quamuis eſſet Iſraëlita tamen periret hoſtis Dei *flamma e tentorio* emicante, vti exempla monent Nadabi & Abihu Leu. X, 1. 2. XVI, 1. Num. III, 4. Iſraëlitarum Num. XI, 1. 2. 3. Hinc ſub hoc tabernaculo etiam Deum apparuiſſe agnouerint ipſi Poëtae. Virg. Aeneid. L. VIII, v. 352.

Arcades ipſum
Num. XIV, *Credunt ſe vidiſſe Iouem, cum ſaepe ni-*
14. 21. *grantem*
Ex. XIV, 19. *Aegida concuteret.*

Et Nubem circa tabernaculum etiam celebrarunt in ſua Aegide: Vnde *Nigrantem* Aegida dixit Virgilius & Claud. in Eutrop. L. II, 16.

Sic ſalus clypeo quantum vix ipſe Deorum
Arbiter, infeſto cum percutit Aegida Nimbo
Intonuit.

Paria enim de *tentoria* legimus Ex. XL, 34. *Tunc operuit Nubes illa tentorium Conuentus & Gloria Iehouae impleuit tabernaculum, adeo vt non poſſet Mo-*

ſes

ſes ingredi in tentorium Conuentus, cum incubuiſſet illi Nubes — Nubes enim Iehouae erat ſuper ipſum tabernaculum die, ignis vero nocte in oculis totius Iſraëlis omnibus perfectionibus eorum. cfr. Num. XIV, 10. Ex. XXIV, 11. Num. XII, 8. Vt non difficulter & *Nubes* & *Fulmina* ignem & caprina tentoria cum habitaculo Iehouae vnde Αἰγίοχος dictus in vnico hoc Iſraëlitarum Tentorio deprehendes. Porro etiam fatalis ille conſpectus *Nudae Aegidis* cum tabernaculo & Arca bene conuenit. Fabulantur Poëtae Mineruam ſaepe occidiſſe hoſtes denudata Aegide. cfr. Ouid. Met. L. IV, 654. ſqq. Et cum quispiam vel vltro vel ex inopinato *Clypeum*, *Caput Meduſae* dictum nudum intueretur, protinus exſpirauit. Par vterque ratio *Arcae Federis* erat, quam nemo intueri & viuere poſſet: monente ipſo Deo. Num. IV, 15. *Filii Kehathio portent Arcam teſtimonii, ſed ne attingunto ullam rem ſanctam, ne moriantur.* v. 18. *Ne committite vt exſcindatur tribus haec Kehath* — 19. *Sed hoc facito eis, vt viuant ac non moriantur cum accederent ad res Sanctas Sanctorum:* — 20. *Vt non inſpiciant veniendo, cum legant rem ſanctam & moriantur.* Hinc vulgare prouerbium: *Aegis venit*, quo indicauit Vetuſtas, veniente hac Iſraëlitarum re ſacra vt obii & circumſtantes oculos a libero conſpectu tuerentur, ne interirent ſolo intuitu: & Pallas hoc munimentum ſemper corio caprino tectum deportaſſe narratur: Alias nota eſt Bethſemitarum caedes, qui Arcam ad ſe venientem nudam intuerentur. 1 Sam. VI, 19. *Percuſſit autem ex Bethſemitis, qui aſpexerant Arcam Iehouae, vt percuſſerat ex illis quinquagies mille ſeptuaginta homines*

mines. ſqq. cfr. etiam quae habentur de *Vſu* 2 Sam. VI, 6. 7. Num. XVII, 28.

§. XIV.

Dicta fuit etiam haec Aegis ſiue Caprinum tentorium *Palladium* Mineruae, cuius faber fertur fuiſſe *Abaris Hyperboraeus.* 2 Sam. VI, 2. Iul. Firmicum de Err. P. Rel. Qui idem cum Moſe & ſic non a vero illius hiſtoriae abludit, quoniam interueniente Moſe fabricata eſt *Arca* ex iuſſu Diuino. Exod. XXV, 2. *Edic filiis Iſraël, vt offerant mihi oblationem ab omni viro cuius animus ſponte mouerit eum. Haec autem oblatio, Aurum Argentum —— Lana Caprina —— Pelles Arietum purpureae*, quod ita mouit corda Populi, vt non modo quae neceſſaria eſſent ad opus ſanctum perficiendum afferrent, ſed & ſuperflua; *Cum ſingulo mane plura & plura afferent*, donec inhiberentur a Moſe. Ex. XXXVI, 2-6. Et ex illa copia rerum variarum abundatiſſima Poëtis ſuccreuit fabula de *Cornu Amaltheae Caprae* & de *Cornu Copiae*, quod affatim abundauit rebus tota terra pretioſiſſimis. Memoria dignus eſt verſus Ou. Faſt. L. V. 115.

Nais Amalthea Cretaea nobilis Ida
Dicitur in ſyluis occuluiſſe Iouem.

Vbi vſum corii Amaltheae Caprae ſatis fideliter prodit, quod ſcilicet ſub illo *occuleretur Iupiter*, vti in ſacris ſub tentorio caprino occultatus fuit, vt ſupra innuimus. Nec de vero ſenſu dubitare poſſumus, quum *Capra* hic vocatur *Ida* ſiue *Iuda*, de quo P. I. c. I. §. 63. & illo quidem qui habitauit in terra Kritim ſiue Veterum Creta. cfr. P. I, de Creta. Porro, quis in *Syluis* vnquam ſub *Caprino Corio* mihi

mihi monſtrabit ex hiſtoria Iouem occultatum, ſi deſertum ſiluasque Arabiae excipias? Ex *Abundantia* vero oblationis Populi ſuum κέρας ἀμαλθείας compoſuere: quaſi fertilis abundantia Populi Diuini, quo nomine videtur verſam beatitudinem ſuam expreſſam voluiſſe Iobus, cum vnam filiarum dixerit *Keren-Happuc*.

Et ne quis de rei vero ſenſu dubitet; per aliam fabulam de eodem *Cornu copiae* ex Ouidio pateſcet veritas. Hic enim Poëta Met. L. IX. init. talem nobis exhibet hiſtoriam *De Deianira Virgine pulcerrima proci certabant Hercules & Achelous. At quia inferior viribus erat Achelous in draconem ſe formauit, cui cum preſſit acrius guttura Taurus factus eſt. At inſtans Hercules alterum*

Cornu infregit quod — v. 87.

Naiades tum pomis & odore flore repletum
Sacrarunt: diuesque ſuo Bona Copia Cornu eſt,

Talis fabula eſt, quae ſi nomina tantum Perſonarum immutes, totam habebis hiſtoriam. Erat Deianira Populus Iſraëlis cui ſe iunxit Hercules Ioſua, ſecumque quaſi coniugem educere vellet ex Aegypto. Achelous autem ſiue Nilus ſponſam retinere contendit. Ac proinde in Arenam deſcendunt Aegyptius & Iſraël, ille vero decem plagis ſuperatus virtus dare manus eſt coactus, donec abeunti Herculi *Draco* immanis obiiciebatur, erat ille *Mare Rubrum* vt ſupra P. I. c. 19. §. 23. oſtenſum. Cui cum collum pollicibus vel extenſa manu ſoluerit: in alteram ripam tranſiuit: Caſtraque metatus eſt in deſerto *Schuris* Ex. XXV, 22. qua vox notat *Taurum* שור. Et illinc factum quod fabula dicat Acheloum

poſtea

poſtea mutatum fuiſſe in *Taurum*, cui cum fractum fuiſſet Cornu; rerum omnium copia affluens exundauit, h e. Indicta oblatione liberali a DEO, quidquid ad tentorii ſacri vſum deſideraretur affatim collatum eſt. *Cornu* vero peculiariter inde dictum puto, quia *Altare*, quod victimis & ſuffitu vndiquaque collatis abundabat, exit in IV Angulis ſuis *Cornu* munitum. Adeo vt *Cornu Copiae* erit idem ac Arcae Diuinae copia, ſiue quotidiana abundantia victimarum, hoſtiarum, ſacrificiorum & ſuffitus. Eo tempore, quo primum coepit hoc Altare ſiue Cornu Copiae tot bonis abundare, Gens Iſraëlitica in ipſa quaſi iuuentute conſtituta, vt ipſe de ea teſtatur DEVS Oſ. XI, 11. *Quia* נער *Puer Iſraël dilexi eum & ex Mizra inuocaui filium meum.* Vnde non immerito haec Gens Poëtis vocatur נער l. ניד ex verbo ניד Iuueneſcebat, proprie de prole recens edita, vnde Graecorum νεανισκος, & ſic bene cecinit Poëta; *Nais Amalthea Cretaea* &c. ניד *Nais* Puer eſt: & *Amalthea* nomen Ebraeum. Populus Dei vel *Nais Amalthea* ſit idem ac *Populus Dei in pueritia iam* conſtitutus: *Amalthea Dea* compoſita eſt, vt apertiſſime liquet ex עם *Populus ex variis tribubus collectus* & אל ſ. אלוה Deus, adeo vt ex Amel aut Ameloah Graeci ob Euphoniam ſuppoſuerunt Amaltheam.

ADDIT.

ADDIT. EX MANVSCRIPTO.

DE

HERCVLE.

§. I.

Siquidem quam ſaepiſſime in ſuperioribus diximus Herculem & Ioſuam eundem fuiſſe ſiue Deum ſiue hominem: ideoque facinora eius iam enumerare animus eſt, vt appareat omnem cum Ioſuae factis conuenire fabulam cfr. Voſſ. & Huetium. Nec dubium eſt, quin fama Ioſuae, diuerſo licet ſub homine, peruenerit ad Graecos, cum non modo illorum progenitores, Pelasgos, Arcades & Ematios fecerit extorres, ſed & Hiſtoria ſacra nomen illius in omnem terram euulgatum aſſerit. Ioſ. VI, 27. *Et dominus erat cum Ioſua, vt fama eius in omnem terram exiret.*

§. II.

Patria tam Herculi quam Ioſuae eadem erat ſc. Aegyptus: ſic in Hymn. Homerus:

Herculem Iouis filium canam, quem fortiſſimum
Genuit Thebae in pulcris regionibus
Alcmena.

Thebas

Thebas Aegyptias heic velit, vt fruſtra audax Graecia ad recentiſſimas Boeotorum traducere ſatagunt. Et ſic qui Thebanum faciunt illo indicare volunt Aegyptum; dudum enim abiit ad ſuperos Hercules antequam Thebae Boeotorum exſtructae fuere. Poſt Patriam *Parentes* celebrantur Herculis. Et quamuis vterque merito dicitur *Iouis filius* vt omnis Iſraël Ex. IV, 22. Oſ. II, 1. Tamen parentes etiam habuit mortales. De *Patre* res in confeſſo eſt: vocatur ille *Amphytrio*, ex ἀμφὶ & τρύω, tero, corrumpo, frango, & ſic retenta vi vocis tranſpoſitum eſt ex *Naue*. Patre Ioſuae נאץ rupit, corrupit, irritum fecit *Mater* vero Ioſuae in Scripturis non habetur: hinc Diod. L. V. p. 236 ita de Eadem. *Hic*, ait, *Hercules Iouis filius*, *qua matre natus ſit compertum non eſt.* Poëtis *Alcmena* dicitur, quod non nomen feminae ſed *Gentis Iſraëlis* puto.

§. III.

Cum primum innotuit Hercules, & quaſi in lucem editus, ſtatim miracula illum circumſtetere, quorum primum celebratur *Triduae tenebrae*, de quibus praeter alios Orpheus L. I, Arg.

Hunc Alcmena peperit Ioui iuxta ſummo
Cum latuit ſol tribus noctibus continuis,
Caruitque dies ter lumine Phoebi.

Profecto eiusmodi Triduanae tenebrae non aliam terram nec alia Secula obſcurauere, quam illam, in qua primum innotuit Hercules noſter Ioſua. Videlicet agit fabula de tenebris Aegyptiacis tempore Ioſuae factis, de quibus Ex. X, 22. *Et factae erant*

tene-

tenebrae denſiſſimae per omnem Aegyptum tribus diebus, vt alius alium non videret, nec ſurrexit ex loco vbi conſederit in tribus diebus. Cfr. Sap. XVII, 1-21. Hinc fabula ducta eſt veriſſima, quam aliunde non explices.

§. IV.

Sed nec minora ſub ipſo natiuitatis tempore ſubiuit pericula Hercules quam Ioſua. De hoc memorat Hiſt. Moſis, quod genti Iſraëliticae iratus Pharao obſtetricibus imperauit protinus ſuffocare progeniem Maſculam, cuius tamen tyrannidi finem impoſuere mulieres *Siphra & Puha.* Paria de Hercule legimus apud Pauſan. in Boeot. *Iunonem ſc. odio commotam, cum ſciret inſtare tempus pariendi, mulieres veneficas immiſiſſe, quae partum impedirent, at Hiſtoriam Tiraeſiae filiam veneficas illas ſua aſtutia eluſiſſe.*

§. V.

Et haec de ortu vtriusque Herois ſunto; nunc ad facinora pergimus, inter quae primum *Rudimentum Herculis erat, quod binos ſerpentes a Iunone immiſſos manu enecarit.* In qua fabula leui errore *Ioſuam* pro Moſe videntur ſupponere, quia erat ſeruus illius & ſucceſſor, vt aegre admodum gentiles huius ab illius facinora ſegregare potuerint. Tangit itaque fabula hiſtoriam quae habetur Ex. VII, 13-15. *Vbi baculus Aronis deglutiuit dracones Aegyptiorum.* Aut Ex. IV, 2-4. *Vbi Moſes manu Draconem apprehendiſſe legitur ſine vllo damno*, quod experimentum merito *labor Cunarum* dicatur.

Porro: Opera quae Heros ille perpetrauerat indicatu difficilia eſſe propter hiſtoriae, quae de eo habe-

habetur, varietatem, Monet Phrunitus XXXI. Proinde non mirum erit, ſi omnia, quae in fabulis habentur ad amuſſim reſpondent hiſtoriae ſacrae. Facinora Herculis vulgo duodecim numerantur. Alii ad viginti augent, de quibus iam ſuo ordine agamus. Initium ergo fiat *a Buſiride, qui Rex Aegypti erat & tyrannus immanis; vtpote qui Diis ſuis hoſpites ſuos immolaſſe fertur, ſed demum ab Hercule, quem itidem interficere vellet, ſuperatus exſtinctusque eſt.* Ouidius, Diodorus, Virgilius conferantur. Cuius hiſtoriae prona eſt explicatio. Erat *Buſiris Pharao* tyrannus Aegypti, qui hoſpites Iſraëlitas in ſeruitutem Diis quaſi ſuis immolauit; quia iniuſte coëgit illos *Lateres* conficere, ex quibus Vrbes & templa Deorum ſuorum aedificauit. Et eum non modo omnem Maſculum Iſraëliticum ſed & Ioſuam interficere in infantia conaretur, demum iuſto Dei iudicio ab eodem in Mari rubro ſuperatus exſtinctusque eſt.

§. VI.

Interea dum hoc facinus in Baſirim peragit Hercules, pariter *Acheronta* perrupiſſe fertur, vt iidem Auctores indicant; ſed teſtimonia illorum tanto minus neceſſum duco adducere, quanto certiores omnes de fabula pariter & Hiſtoria ſumus. *Acheron* erat, vt P. I. c. 10. §. 3. monſtratum, non alius hoc nomine fluuius quam *Mare Rubrum* Ioël. II, 20. Deut. II, 24. quod quia *perrupit* Ioſua cum omni exercitu ſuo, per *Acherontem ad inferos* tranſiiſſe fertur ſub nomine Herculis. *Inferi* enim ſiue *Heſperii* vel *Arabia* in aduerſo ſtatim litore excepit, quam terram ſiquidem peragrauit XL annis Ioſua,

haud

haud mirum eſt Poëtas dixiſſe Herculem ad inferos permeaſſe. Cfr. P. I. C. X. §. 1. 2. Et appareat nos non inuitam trahere aut torquere fabulam, ſed integras *hiſtorias* cum *fabulis*, *nomina* cum *locis* & *perſonas* cum *rebus* congruere. Adeoque non per ambages Paralleliſmus hic peragetur, ſed ſecundum ſeriem rerum hiſtoricam & planiſſimam.

Apud inferos grauiſſimus Herculi labor erat *Cerberum in conſpectum hominum protrahere*, ad cuius latratum exhorruit omnis Aura, omne coelum, omnis terra vicina & homines circumſtantes. Et ex illa formidine ſatis agnoſcitur. Erat enim ille idem cum *truculenta facie Montis Horeb*, quamdiu lege promulgata fuiſſet, ex cuius *tenebris*, *vaporibus*, *nube*, *fulgetris* & *fulminibus* cum *tonitru*. Exod. XIX, 20. Latratum infernalem non iniuſte conciliarunt ſibi Poëtae. Tam truculentus hic latratus apud illos fingitur, tam formidabilis erat in *Monte fumante*, quo viſo auditoque terra intremuit, coelum fumauit & homines numero 600000 propemodum exanimati ſunt. Vocatur autem *Cerberus* Homero *Canis*. Euſtathio *Kerberus*; quod *deuaſtatum deſolatumque* ſonat ex חָרַב vnde חָרְבָה & חָרוּב & mons ipſe Sinai qui alias vocatur חֹרֵב Horeb & Khoreb: vnde facta eſt deinceps vox Kereb & ob Euphoniam Kherberus aut Cerberus. Pſ. XVIII, 11-16. Nullum igitur eſt dubium, quin Cerberus ille ex Erebo latrans fuerit *facies Montis Kerberi* aut Korebi in Arabia eo tempore, quo lex edita ſit inter fulmina, tonitrua & nubes.

§. VII.

Poſt hoc miraculum iniunctum erat Herculi, teſte Diod. L. IV, 11. *Negotium interficiendi Leonem in Nemea, qui graſſabatur circa montem qui ab euentu Tretos & Perforatus dicitur. Quo demum capto exuuias ſibi circumdedit, & pro monimento aduerſum pericula deinceps vſurpauit*, quod cum Ioſua duce ita conciliamus. *Leo Nemaeus* erat Populi Iſraëlitici nomen in Scripturis vulgatiſſimum *Ariel.* Eſa. XXIX, 1. Ezech. XLIII, 15. 16. Vnde ſic vaticinatus eſt Iacob de filio Iuda Gen. XLIX, 9. *Catule Leonis Iuda, a praeda &c.* Nec aliter *Bileam* Num. XXIII, 27. 28. *Nunc de Iſraële dicam. En Populus tamquam immanis Leo ſeipſum attollit.* Et Cap. XXIV, 9. *Vbi incurrauerit ſe, iacet tamquam Leo & tamquam immanis Leo.* Ex quibus ſatis conſtat *Iſraëlitarum* nomen fuiſſe *Ariel* ſiue *Leo. Nemaeus* autem vocatur, quia haec gens in *tribus* diuiſa erat, ex *νέμω* diſtribuo: & ſic imprimis *Tribus Iuda, Leo Nemaeus* dicitur, quia haec tribus Leonis nomen praeprimis obtiuit, vt ex locis adductis patet, quamuis & ceteris tribubus hanc gloriam etiam inuidere non licet. Erat ergo *Leo Nemaeus*, Leo Dei, ſiue Ariël: hoc eſt Populus Tribusque Iſraëlitarum, qui & vnde cognoſcitur, quod eo tempore a Ioſua Hercule dicitur trucidatus, circa montem *Tretos* graſſatum fuiſſe perhibetur. Hoc eſt circa montem *Pharan* in Deſerto Arabiae *Pharan.* Num. X, 12. XIII, 4. 27. Deut. XXXIII, 2. Cuius vocis Hebraeae vis ſonat *Perforatum* Latinis & Τρέτος Graecis; nam חפר perfodit vnde חֲפִירָא & per aphaereſin בֵּרָא foſſa, apud

apud Talmudiſtas teſte Buxtorfio in Lex. Et ſic Loca ſuis Nominibus ſuoque Populo congrua habemus. Reſtat iam oſtendere, vt Hercules Ioſua hunc Leonem ſiue Populum interfecerit & vnde exuuias habuerit, quibus tertius contra Gigantes in arenam deſcenderet. De priore facinore ſic memorat Diod. L. c. 8. 9. *Cum Hercules a Deo iuſſus ſit imperata certamina perficere, ex nimia aegritudine inſania correptus omnes ſuos liberos confecit.* Obſeruat praeterea Nat. Com. p. 689. *Herculem bis inſaniiſſe, Altera cum igne Liberos puniiſſet, Altera cum ferro obtruncaſſet.* Ad Ioſuam haec ita referuntur in Hiſtoria vera Moſis. *Accipit* Dei Mandatum de futuris proeliis Ioſua. Ex. XVII, 9. 14. Num. XXVII, 18 ſq. Ioſ. I. Interim vero peccans Populus *furorem* non tam Ioſuae ſerui quam ipſius Dei in ſe irritauit, quo per ignem interit. Num. XVI, 35. Vnde locus etiam dictus *Tatecra* Num. XI, 3. Deut IX, 22. Et non ſatis percepta Hiſtoria a Poëtis furentem fecit in ſuos Ioſuam. Alter vero *furor* erat cum a ſpeculatione terrae Canaan rediret. Quia enim illius voci obedientes non fuerint Iſraëlitae, ex iuſſu Iuſtitiae Diuinae in deſerto omnes extincti ſunt; quod facinus Herculi adſcripſit coeca gentilitas. Num. XIV, 15. Et huius *demortuae Gentis* ſiue Leonis reliquia & Poſteri (Num. XIV, 31.) *Exuuiae* illae *Leonis* fuere, quibus cinctus Ioſua ad bellum abiit: *Exuuias* vocant Poëtae *Milites*, quia vox Ebraea חלץ & exuere notat & *expedire*; vnde חָלוּץ Num. XXXII, 21. *Milites expeditos* ſonat, vt & v. 37. verum Deut. XXV, 10. *Exuere*, vnde חֲלִיצָה *Exuuiae. Et hae erant Leo-*

nis exuuiae quae nullo ferro penetrabiles Herculi pro ſcuto ſeruiebant in omnibus eius laboribus. Teſte Chryſoſt. L. II. Pelopones.

§. VIII.

Exuuiis Leoninis munitus Hercules protinus in bella & rapinam ruit. Et Mala Aurea Heſperidum prima fuere ſpolia, quae cum a Rubro Dracone cuſtodia tenebantur, hunc primum auerruncauit, & deinceps manubias corripuit. Eurip. in Herc. fur.

Et ad puellas Muſas venit in Heſperiam
Aurea mala manu decerpturus,
Prius Draconem rubrum habenten tergum,
Qui circa inacceſſum anfractum excubabat,
Interfecit, Aequorei maris ſinus ingrediendo
Mortalibus Remis Columnasque ponendo.

Multa heic memoratu digna ſunt. I. *Locus*, qui erat *Heſperia*, quam Arabiam fuiſſe ſupra monſtrauimus, in qua olim noſter Hercules Ioſua obambulauit. II. *Draco ruber*, qui Herculis iter impediebat quominus in Heſperiam venire poſſet, quique hic quatuor ſignis explicatur, primo quod *rubrum habuit dorſum*, quo mare rubrum indicari certiſſimum eſt, *cuius ſuperficies ex Montibus vicinis purpureis mediante ſole conſimili colore contingitur*, vt habet Steph. Agatharchi & Strab. L. XVI, Plin. VI, 23. *Deinde quod circa inacceſſum anfractum excubaret*; erat illud deſertum Heſperia, de quo Moſes Deut. VIII, 15. & Ier. II, 6. vocans illud deſertum *per quod nullus tranſiit & nullus habitauit.* Anfractuoſum v. dicitur ob errores Iſraëlitarum Anfractuoſos. *Poſtea* dicitur *Hercules hunc dra-*

draconem interficiendo per ſinum Aequorei maris permeaſſe & quidem pedibus humanis. Quod de alio aequore aut Hercule quam Mari Rubro & Ioſua ſumi nequit. *Tandem etiam Columnarum* id ope factum addit; quia Columnae nubis & ignis in ſocietate erant & pericula omnia auertebant. Erat itaque *Draco ille ruber, Mare Edom*, quod vt monet Dionyſ. Alex. 57.

Vt draco horrendus volutatur, repens & lentus.
Sic ille volutatur in maris ſinus,
Diffuſus hinc inde & grauis profluuiis.

Confer quae ſupra inueniebatur P. I. C. III & XIX. §. 23. Et ſic III. loco *Mala* aurea explicanda veniunt, de quibus, quoniam ſupra itidem egimus L. c., illuc remittimus Lectorem & ſtatim apparebit fabulam de malis Heſperidum ſolum cum Ioſua noſtro conuenire.

§. IX.

Iam ditior factus Aureis Malis Hercules, *Gygem* deinceps occupauit armis, internecioni dedit & illius vaccas abegit, in quo inueniendo non ſimus operoſi; quum in ſuperioribus pariter & ex Hiſtoria Moſis nomen eſt notiſſimum *Ogi Regis Bazani*, de cuius internecione opera Ioſuae integra Hiſtoria Num. XXI, 33. Et ſic ex illa expeditione originem quoque duxit fabula de *Augeae ſiue Ogi ſtabulo ab Hercule purgato.* Cfratur Cap. IV. de Hercule in Mſcrpto.

ADDIT. ex MANVSCRIPTO.

DE OPHIR.

א ו פ י ר

§. I.

Dum varias & praeſtantiſſimas Atlanticae noſtrae partes ac regiones diu‑e memoria hominum obliteratas in lucem poſtliminio veluti protraximus; Aurea quoque Regio Arabiae Ophir haud poſtremum ſibi locum vindicare videtur. Erat haec eadem, quae tot opibus olim cumulauerat gentes; quaque tam pretioſo metallo ſuperba haud quaquam paſſa fuerat ſemet obliterari, ſi hominum induſtria aeque ſedula fuiſſet in conſeruanda regionis memoria, ac eorundem auarities erat improba in corradendis opibus. Nihilo ſecius tamen manet aliqualis eiusdem cognitio, tradita per eos, qui ex hoc metallo minimum fecere lucri; vt non difficulter eius veſtigia in Arabia cernere liceat.

§. II.

Hebraeis haec regio אופיר *Aupbar* l. *Ophir* dicitur, quam vocem exprimere ſatis videtur Stephanus. *Auara vrbs eſt Arabiae*, addendo eandem ſigni-

ſignificare *Album.* Bocharto autem *Auphar* id eſt ac *Opulentiſſimus*, ſed nihil ad rem ſatis enim notum eſt, regionem trans, quae demum erat, nomen habuiſſe ab *Ophiro* pronepote Arphaxadi, qui filius erat Semi. Gen. X, 21. 24. 25. 29. *Cuius habitatio erat a Meſa pergendo verſus Sephar, montem Orientis.* v. 30. *Meſa* autem ſiue Muſa Emporium olim in Arabia erat celeberrimum. Et *Saphar* itidem in Arabia erat, vt egregie monſtrat Bochart. Phal. L. II, c. 30. Atque adeo in hac ſola Arabia inueſtiganda erat Regio Aurifera Ophir.

§. III.

In hanc quoque regionem haud obſcure viam aperit ſacra Hiſtoria 1 Reg. IX, 26-28. *Rex Salomo claſſem parauit Hezrone Geberi, quae prope Eloth ad litus Maris Suph in terra Edom. Miſit vero Hiram ſuos ſeruos cum ſeruis Salomonis, qui profecti Auphar attulerunt inde aurum.* Erat autem portus Elaniticus aptiſſimus Palaeſtinis in Arabiam ſoluentibus extremam ſeu *Ophir. Nam Elana urbs in altero receſſu Arabici ſinus erat, qui apud Gazam eſt, nomine Elaniticus*, teſte Strab. LXVI. Et ſic facile eſſet hinc ſoluentibus legere Oram Arabiae maritimam, donec Auphar venirent.

§. IV.

Quoniam exitus in Oceanum ac Indiam Orientalem itidem aperuit ſinus hic Arabicus placuit nonnullis ablegare Claſſem Salomonis in terras longinquas & auro hodienum refertiſſimas, quorum coniectura potiſſimum inde robur aſſumit, quod L cuiuis expeditioni tres annos impenderint Claſſia-

rii. II. quod opes inde aduectae erant, Ligna Almyghim, Ebur, Simiae, Pauones & Lapides pretioſi cum Auro, quae nonnulla in Arabia non reperiuntur. Verum illae rationes declinari poſſunt. Quod enim ad primam attinet: ex Diodoro aliisque edifcimus, haſce opes & imprimis aurum non aeque in pretio fuiſſe apud incolas & indigenas Arabiae ac Tyriis ceterisque hominibus. Vnde factum eſt, quod neutiquam operam inſumerent ipſi in colligendis Aureis illis ramentis, ſed qui ex alia gente accederent cogebantur ipſi Aurum ex Metallis corradere & exquirere, vnde non mirum, ſi tres integros annos conſumſere antequam claſſem pretioſiſſimis iſtis mercibus propria induſtria conquiſitis onerare poſſent, quod teſtari videtur Eupolemus apud Euſeb. Praep. Euang. L. IX. qui narrat Regem Iſraëlitarum *Naues fabricaſſe Aelanis urbe Arabiae & miſiſſe Metallicos ad inſulam Vrpha in Mari Rubro ſitam metallis auri foecundam, & metallicos Aurum in Iudaeam adueniſſe*; Adeo vt Claſſiarii Aurum ex Metallis colligere neceſſum habuere, & ſic ante triennium redire noluerunt.

§. V.

Quod vero opes concernit a Claſſiariis aduectas, illae quidem non arguunt neceſſario expeditionem Indicam. Cum eo tempore nondum inuenta Pyxide Magnetica, nec cognito orbe orientali, immo vix dum et ne vix quidem occupatis ab hominibus inſulis in Oceano Indico, nequaquam credamus, Tyrios eo tempore vltra ſinum maris rubri perueniſſe. Et qui rationibus hiſce acquieſcere nequeat, illi apertum erit, hoc iter ingredi, inque Oceano illo inſulam cert m ſine pyxide magnetica inueſtigare, et ipſa experientia contrarium ſuadebit.

Porro

Porro etiam non minus expeditum erat ex Ophir Arabico mercari et aduehere opes ibi non natas, quam olim licuerit ex Hollandia conquirere merces ex vtraque India tam Orientali quam Occidentali. Aut vt olim licuerat Tyriis mercari triticum minnit a Iudaeis Ezech. XXVII, 17. Cum Sabaeis Iudaeos commercia habuiſſe ex Diod. L. 2. 47. conſtat.

§. VI. Verum ne cuiquam hoc modo videar ſoluiſſe nodum Gordium more Pelkeo; ex irrefragabili etiam teſtimonio oſtendere conabor omnes illas opes a Salomone conquiſitas, affatim olim in Arabia repertas fuiſſe. Profecto de *Ebore* et *Lignis Amulggbim*, quin ex Arabia conquirere olim licuiſſet, tanto minus dubitamus, cum ſacro id teſtimonio firmatur. Ezech. XXVII, 15. *Dedan erant mercatores tui: commercia enim babebas in inſulis* (maris ſc. rubri) *et vendebant Ebur et ligna Almuggbim.* (2 Chr. 2, 7. 8. legitur tale lignum fuiſſe in Libano.) Erat hic *Dedan* frater *Seba*, Gen. XXV, 3. cuius habitatio erat in Arabia. Vnde *Arabia felix et Dedan* Ezech. XXXVIII, 13. XXV, 12, 13. iunguntur. Clare et manifeſte et *Dedan* et *Theman* populus Edom vocatur in Arabia. Et Ierem. XLIX, 7. 8. vocantur *Edomaei* in Arabia *Ciues Dedan.* In primis vero notandum, quod *Dedan* cum *Inſulis* coniungitur. Videtur enim maxima pars huius populi habitaſſe in Inſulis Rubri maris. Habebat enim hoc mare vaſtiſſimas opulentiſſimasque Inſulas, vt ex Diod. L. III. videre liceat. Hinc *Dedan* et *Thema* vocantur *Reges in Inſulis maris extremi*, Ierem. XXV, 22. 23. h. e. maris Suph, ſeu Rubri. Et idem videtur ſuadere Eupolemus nuper citatus, cum vocat *Ophir Inſulam Vrphe.* Et ex his inſulis Dedan ſeu Arabica affatim ligna Almugghim et Ebur collegiſſe feruntur Tyrii: quod cum Spiritus Sanctus ipſe teſtatur, quid opus erit ſtatuere, nec Ebur nec ligna Almugghim ex Arabia fuiſſe conquiſita. Et quod Elephantos attinet, ex Diodoro L. 2. c. 50. etiam monſtraui ſupra, quod in hac noſtra Atlantica et inprimis in Arabia olim inueniebantur, vt de iis iam dubitare amplius non erit locus.

§. VII. Nec minus variis et pretioſiſſimis lapidibus refertiſſima erat. Eſt hac de re locus egregius apud Diodorum L. II. c. 52. vbi opes Arabiae in hunc modum recenſet: *At non variantes modo ſpecie beſtiae generantur* (in Arabia) *ſed omnigenae quoque lapides, quos tum coloris varietas, tum nitoris pelluciditas commendat illis in ferris efficaci ſolis operatione generantur. Chryſtallum ex aqua, puriſſima in glaciem indurata coaleſcere aiunt, non quidem a frigore, ſed diuini ignis potentia: quae facit, vt citra corruptionem perdurent et variae tincturae formas ob ſpiritus exbalationem accipiant. Smaragdos enim et Beryllia, quae vocant, in Aerariis elaborata officinis, a Sulphuris tinctura et copulatione colorem aſſumere: et Chryſolitas e fumida exbalatione calore ſolis natos, colorem iſtum nanciſci. Ideoque et ibi Pſeudochryſos* (*quod mentiantur ita dictos*) *fieri quando vi ignis mortalis et ab hominibus excitati tinguntur Chryſtalli. In Carbunculorum etiam ortu, a vi lucis in concretione prout maior eſt aut minor, intrinſecus coacta diuerſitas illorum effici.* Et concludit demum hoc modo. *Quo circa nec Marmor Parium, nec aliud ſaxum mirabile cum lapidibus Arabicis comparari poteſt; quorum et candor nitidiſſimus et pondus eſt grauiſſimum.* Idem ex Strabone addiſcimus L. XVI. de Arabia. *Poſt ſinum eſt Ophiades inſula, vbi colligitur Topazia: is lapis eſt pellucidus, auri ſimilis, ſplendore tanto refulgens, vt interdui videri non poſſit*: et ſtatim: *Ferunt etiam Arabes Smaragdum et beryllum in aurifodinis ſuis innaſci.* Apparet, nomen huius inſulae Ophiades alludere quodam modo ad *Ophir.* Quidquid vero ſit, etiam ex Ezech. XXVII. 21 22. Satis euincitur Arabiam lapidibus pretioſis et Auro opulentiſſimam fuiſſe: ita enim ille: *Arabia et princeps Kedar negotiabantur tecum. Et negotiatores Sabae et Raemae ferebant ad nundinas tuas varii generis aromata, lapides pretioſos et aurum.* Raema haec erat patria Elihu, qui cum Iobo vixit Iob. XXXII. 1?. in Arabia.

§. VIII. Vlterius in Arabia copia erat Auium varii generis praeſtantiſſimarum et pulcerrimarum. Vnde Diod. L. II. c. 53. de Arabia: *Hinc et volucrum genus multi*

coloris

coloris particeps euaſit, cui leuitas, volatum, ſpiratio ſolis varietatem conciliat. Et cap. 52. itidem ait in illa terra, *Auium formas ſic colorem induere, vt aliae per omnia purpureae, aliae ex parte variis diſtinctae maculis appareant. Nam vel flammam, vel croceam, vel Smaragdinam, multas quoque aurei coloris formam pro ſua ad lucem inclinatione obtinere. Colores denique multiformes et difficulter nominandos hinc exiſtere.*

§. IX. In primis vero abundabat haec Terra Auro, eodemque ob praeſtantiam celebratiſſimo. Vnde etiam factum putarim, quod Orientalibus Aurum dictum ſit זהב Sahab ex Regione Arabica Saba, vbi tanta copia effodiebatur. In ſacris autem Aurum Ophir in pretio erat inclito, vt ex multis locis conſtat. Et, niſi fallor, hoc aurum Auphirum et Apyrum idem nomen retinuit apud Graecos. Diod. L. 2. c. 50. *Effoditur in Arabia Aurum, quod APYRVM nominatur; non enim per ignem excoquitur, vt alibi, ſed inter eruendum ſtatim purum putum inuenitur par nucibus caſtaneis magnitudine et colore tam flammeo, vt ſi pretioſiſſimi lapilli artificum opera includantur, ornamenta pulcerrima efficiat.* Mire in rem noſtram hoc omnia conferunt. Dicit Aurum hoc ab Arabibus vocari *Apyrum*, quod ſatis exprimit vocem Opirum vel Auphirum. Graecorum illa erat vafra arrogantia, vt omnia Exterorum vocabula ſua facerent. Hinc audita fama Auri Ophiri ex Ophir Apyr, et ex *Auro Ophiro*, Aurum *Apyrum* fecere. Verum, qui non vident, Arabes neutiquam Exoticum aut Graecum nomen ſuo auro impoſuiſſe. Et ita non Apyrum dicebatur hoc Aurum, quia *ignis expers* erat, vt Graeci nugaciter fabulantur, ſed quia ex Ophir colligebatur. Erat porro hoc Aurum tantae praeſtantiae, vt non arte factum, ſed quodam modo naturale prorſus dicendum ſit, quia ipſius Naturae operatione liquefactum ad ſummam perfectionem coaleſceret, vtſunt omnia illa praeſtantiora, quae a natura ſponte perficiuntur prae illis, quae alte producuntur. Erat autem in *hoc Auro* Arabiae *Apyro*, ſeu *Ophiro* coloris ſumma venuſtas et flaucdo vna cum ipſius originis inſueta confectio, quae hoc aurum prae

cetero orbis vniuerſi Auro efficiebat laudatiſſimum ſimul et praeſtantiſſimum. Strabo L. XVI. de Arabia. *Apud eos Aurum effoditur; non ramenta, ſed glebulae quaedam, quae non multa purgatione indigent: magnitudine minima nuclei, media Meſpili, maxima nucis, quas perforantes et alterno componentes lapillis pellucidis armilla, faciunt inſerto filo et collo manibusque circumponunt.* De hoc etiam L. III. c. 45. aſſerit Diodorus. *Magna vis auri e cuniculis, a natura factis, eruitur; non e ramentis colliquefactum, ſed ſponte natum, quod Apyrum vocatur. Minimum eius fruſtum nucleo medico par eſt; Maximum a nuce Regia non multum exceditur.* Agatharchides pari verborum numero idem teſtatur. *Non aurum ex ramentis cum ſcientia et arte liquefactum, ſed ſponte natum, quod ab euentu Graeci Apyron nominant.* Baſilius ad Eſaiam Cap. XIII, 12. *Aurum Apyrum eſt, quod nullam alienae materiae ambiguitatem in ſe habet;* et Theodoretus: *Apyrum Aurum eſt, quod ſine igne probum apparet, h. e. incoctum.* Ex quibus omnibus locis et *Auri* huius naturaliter nati ſumma praeſtantia, et nominis Apyri cum Ophiro conuenientia: quod Graeci ob ſimilitudinem ſuum fecere, quod tamen Arabicum eſſet nomen. Et ita euidenter liceat videre, *Ophir* Salomonis in Arabia fuiſſe et non alibi terrarum. Ea enim diues erat, omnium earum rerum, quae aſportarunt Claſſiarii eius: quod vel ex vno Diodori loco L. III. c. 47. praeſumere poſſumus. *Haec,* inquit, *natio non finitimos modo, ſed et omnes mortales diuitiis et quauis rerum pretioſarum copia antecellit — Auri et Argenti copia quaſi circumfluunt. Maxime Sabis* (vnde זָהָב aurum, vt iam monui) *ubi regia illis ſedes. Toreumata varii generis ex auro et argento — Laquearia et portae crebras ex Auro et pretioſis lapillis phialas oſtentant. Siquidem in totam aedium ſubſtructionem mirificos impendunt ſumtus &c.* Conſidera hanc opulentiam et vide, numne haec ſola regio ſuffecerat auaris Phoenicum et Salomonis Claſſiariis.

3ff

1

2B

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

OCT 1 6 1918

form 410

JUN 9 191